












Ex Lib. J. Poulin Med. Monspeliensis.

Sequentia dicit Conringius de hoc libro.

Germania nostra plura suppeditat celeberrima nomina: Conerum. vid. introd. ad med.

AUGUSTINI THONERI, D.
COLLEGII MEDICI DIRECTORIS AC SENIORIS, ET GYMNASII ULMANI SCHOLARCHÆ,

Appendix

EPISTOLARUM MEDICINALIUM:

Quæ pro Mantiſſa, cùm Obſervationes illius ante annum ſecunda vice prælo ſubjectæ, cæteris, ob anguſtiam temporis, incorporari non potuerunt, jam ſeorſim ſunt excuſæ:

Cum adjuncta querimonia, ad omnes Philiatros, æquitatis & veritatis amantes, adverſus quendam Antagoniſtam.



TUBINGÆ,

Typis JOHANN: ALEXANDRI CELLI.
Impenſis JOHANN: HEINRICI REISI.

Anno M. DC. LIII.



Epiſtola I. Querula, ad omnes candidos & veritatis amantes Philiatros, adverſus quendam Zoilum.



CUm quidam juvenis Medicus extraneus, in ſua rhapſodia Pharmaceutica, dum in meis Obſervationibus Medicinalibus quædam inſerta reperiret, à Patris illius ſententia diſſentanea, præſertim de Syrupo Emetico Antimoniato, Angeli Salæ, in Peſte exhibendo (NB. Controverſia eſt tantum de Peſte) quem veluti tutiſſimum, & ipſis etiam infantibus minimè noxium eſſe, aſſeverare non dubitavit: Quæ aſſertio tum erat à mea ſententia aliena, cum Peſtis curam auſpicari ab Emeticis, tàm validis, ſit periculoſum & exitioſum; cum vomitus, ſi ſponte Peſti ſuperveniat, ſit prodromus mortis, & potius inhibendus, quàm promovendus.

Annon ἄλογον, & experientiæ contrarium, vitioſos humores à circumferentia, & parte ignobili, ad centrum, ipſum ventriculum & cordis viciniam, ceu membrum principale, præcipitare, & lethales alvi fluxus cauſare, ad quos aliàs Peſte infecti ſunt propenſi: cùm à veneno peſtilenti, ſeptica ac putrefaciendi qualitate inſtructo, omnes promiſcuè humores, tàm nutritii quàm excrementitii, corrumpantur, & ad fluxus colliquefactivos diſponantur?

Peſtis medela non conſiſtit in tumultuaria & valida corruptorum humorum, ſurſum & deorſum, agitatione, & evacuatione: ſed in dextra Alexiteriorum adminiſtratione, materiam malignam infringendo, eamque per hydrotica & diaphoretica, antidotali qualitate dotata, diſcutiendo, ac reſolvendo. Siquidem opus eſſet aliquâ evacuatione, per vomitum & ſeceſſum, annon conſultius eam tentare per pharmaca benigniora, quàm per tàm violenta naturam turbare, & ægros in Cymbam Charontis præcipitare? Et hæc non ullo contradicendi pruritu, ſed fidelis admonitionis & præcautionis loco, illic adducta fuere. An eo nomine

mine ſim objurgandus, appello & provoco ad tribunal impartialium Medicorum?

Exin Filius, non jure cauſæ, ſed vindictæ aviditate, vel potius invidiæ ſtimulo, agitatus, & ſumma animi elatione impulſus, dum ſupra omnes alios eminere contendit, illas ſcopticè magis & ſophiſticè, quã rationabiliter, ſuo calamo perſtringere non eſt verecundatus. Cum autem ego defendendæ meæ dignitatis, & aſſerendæ veritatis gratia, Apologiam ſim machinatus, & omnia illius levicula objecta, & falſiſſimas inſimulationes ſolidis rationibus (ita planè confido) refutaſſem, & ad prælum adornaſſem, jamque opuſculum abſolutum, Typographo committendum; ecce interventu, & ſuadela, quorundam amicorum, remora eſt objecta ne publicaretur, cum illius objecta omnia ita comparata, ut refutatione indigna æſtimanda, cum ſint falſæ inſimulationes potius, cavillationes, & ſophiſticæ exagitationes, quam probabiles rationes cenſendæ? & haud decorum ſit, tàm grandævum Medicum, annum 86. dudum ingreſſum, cum Juvene contendere, generoſiorisque animi eſſe, tolerare injuriam & calumniam, quàm vindicare.

Proin re ultrò citroque ventilata, pacis amore, & quietis ſtudio, paſſus ſum mihi perſuaderi, & me avocari ab intento, eò magis, ut parcerem memoriæ Patris, ne ejus fama & exiſtimatio violaretur, per litigium illud literarium, ob recordationem humanitatis & benevolentiæ, qua me olim collegam, ultra 20. annos, in Republ. Ulmenſi, viſus eſt complecti, dum in privata converſatione, vix biennii ſpacio, ante ſuum ex hac vita exceſſum, in præſentia alterius collegæ adhuc ſuperſtitis, & auriti teſtis, palàm ſit profeſſus, ſe me honorare & habere pro ornamento Collegii, non tantùm ob ſenilem ætatem (& tùm multò junior eram) ſed & alias qualitates, atque hujus ſermonis Teſtis etiam ſit Deus immortalis. Quod ſi meas Obſervationes perluſtrare contigiſſet, in multò majori æſtimio habuiſſet.

Modò, Antagoniſta ille meus, mihi non objeciſſet trimeſtrem oſcitantiam, quod, in curando *Dn. Meckelio*, calculum in veſica deliteſcentem non obſervarim, ni ab alio admonitus. O falſiſſimam inſimulationem! ſilentio haud prætermittendam.

Candidum quare Lectorem, per amorem Dei & veritatis, obteſtor, adeat meas Obſervationes, & inquirat, contrarium luculẽter comprobatum deprehendet, & oſcitantiam

tiam illam non mihi, ſed cuidam Medico & Lithotomo, ſe mihi in vera criſi opponentibus, aſſignandam, cognoſcet, & falſitatem illam ſuo Authori, in ævum exprobrandam ſentiet.

Caſus ille deſcriptus extat lib. 3. mearum Obſerv. Obſerv. VI. pag. 179. ſub titulo: *Eccleſiaſtæ Vlmenſis, in Summo Templo, Dyſuriâ & Iſchuriâ laborantis.*

Si ille unicam illam luculentam falſimoniam omiſiſſet, cætera ſcommata neglexiſſem, nec ullam Apologiam adornaſſem. An hoc ſit boni Viri, judicandum committo omnibus Viris bonis? Senem, penè 86. annorum, in dignitate conſtitutum, à Juvene Medico, citra ruborem ac pudorem, tàm indigno modo tractari, per falſas inſimulationes, ſophiſticas Objectiunculas, & ſiniſtras interpretationes, pleraque in alienum ſenſum detorquendo, exagitari. Sed hæc omnia, hâc vice, moderato animo prætermitto, & planè confido, ſicut Aurum liquatum igne non denigratur, ſed magis ſplendeſcit: Ita meas Obſervationes, illius ſophiſticis & ridiculis exagitationibus, non inquinari, quin potius clareſcant.

Cum adverſarius ille meus, ab adoleſcentia, ob animi elationem, & alios carpendi libidinem, malè audire ſolitus, ut catus vix tanto ſtudio invigilet muribus capiendis, quanto ille deſiderio flagret, Medicis carpendis.

Obtigit illi à natura inſolens ingenium, id exerens maturè in ipſa juventute, dum ſupra omnes alios ſe efferre viſus. Etenim cum Juvenis, vix 24. annorum, adhuc Medicinæ ſtudioſus, nondum promotus Doctor, in Diſputatione inaugurali de Gradu, Clariſſ. Dn. *Danielem Sennertum*, Profeſſorem Witebergenſem celebratiſſimum, & de Facultate Medica ſummè meritum, jam Seniorem, & in vita adhuc ſuperſtitem, calami ſui acumine pungere non ſit verecundatus, quem tamen veluti Præceptorem venerari debuiſſet, etſi tum à quodam amico admonitus, ne tantum indecorum committeret, aſt ſe remorari paſſus non eſt: cum, in ſublimi ſua Phantaſia, ſe majorem putaret carpendo Virum Magnum, haud meritum.

Si olim Juvenis Clariſſ. D. Sennerto, nulla præcedente offenſa laceſſitus, non pepercit, nihil miri, ſi & mihi inſultare, & ob vindictæ cupiditatem, in meas Obſervationes, à Philiatris paſſim ſummè celebratas (ut literæ ad manum id teſtantur) non ſolidis rationibus intonare, amore ſcil. veritatis procedendo, ſed, more calumniatorum, ad fallacia & ſcoptica deflectendo.

Ego ipſe, ante complures annos, illius Theſes, de Cephalalgia, quaſi attonitus legi, in quibus D. Sennertum erroris inſimulare non dubitavit, quaſi in illius definitione fuerit hallucinatus, utrum verè? non excutio: At quamvis error aliquis commiſſus fuiſſet, tamen honoris & reſpectus causa, in publico conſeſſu, Viro tam præclaro, parcere debuiſſet, eò magis, cum concertatio de re haud magni momenti: Id factum cum admiratione & indignatione Philiatrorum, qui etiamnum hodie, quoties illius indecori incidit mentio, id deteſtantur, cum authoris haud magna gloria.

Cum ex prima illa velitatione, diſcreto Medico facilè pateſcat, quā leviculis & infirmis machinis, meus Antagoniſta uſus, ad meas Obſervationes infringendas: ſi in poſterum æquè futilia & falſa protulerit in medium, & indigno modo me laceſſere perrexerit, coram omnibus, impartialibus & benignis Lectoribus, ſolenniter proteſtor, *culpam mihi non imputandam, aut vitio vertendum, ſi me pro virili oppoſuero, haud reformidans talem ſophiſtam, veritatis panoplia inſtructus.

Si meæ Apologiæ lucem videre contigiſſet, tùm, in ſpecie, opere ipſo demonſtraſſem, oculos mentis, in tam grandæva ætate, adhuc adeò perſpicaces, ut illius fallacias facilè cernere, & refellere, ſit in promptu: Et tum, æquo Lectori, cenſuram commiſiſſem, cui parti Palma, in iſto duello, adjudicanda foret, ni aliorum interceſſione & perſuaſione fuiſſem impeditus.

Proin, parcat Filius memoriæ Patris, ſi mihi parcere nolit, quo utriusque exiſtimatio ſarta tectaque permaneat, manes illius ſalvos, in ſempiterna requie, relinquens, animi ſui elationem, & impotentiam mentis, coercendo.

Nullus dubito, quin ipſe Pater, ſi redivivus fieri, humanis oculis ſe aſpectabilem præbere, & ſermocinari poſſet, Filium graviſſima caſtigatione ſit reprehenſurus, quod defenſio illa ſuſcepta, neutri parti honorifica, quin potius gravis offenſio cenſenda! dum non ſolidis rationibus repugnare, ſed indiſcretè, plæraque, leviculis objectiunculis agitare, falſis inſimulationibus gravare, indignis cavillationibus conſpurcare, & ſiniſtris interpretationibus obfuſcare, ſit ſolitus.

Sed jam juſtam meam querelam finio, calamum ſiſto, & candidis Lectoribus æquam cenſuram committo.

Epiſtola

EPISTOLA II.

Ad quendam primarium Medicum, de prunis, Utrum eorum usus noxius, & dysenteriam concitet?

CUm Adversarius ille, in meis observationibus, quæ laudanda, carpere non sit verecundatus, & quidem Juvenis, quidnî grandius illud & perniciosum paradoxon, cujusdam Neoterici extranei, in omnes alios Medicos invecti, contrarium statuentes, *pruna dysenteriam non causare*; annon illa opinio à ratione & experientia aliena, omnibus in toto orbe ingenuis Medicis, judicandum committo?

Nemo sanæ mentis abnuat, quin pruna, cruda præsertim, copiosè ingesta, & quibus obtigit ventriculus imbecillior, diarrhœam à serosis humoribus concitatam invehant, nec à ratione alienum, quin cum facilè corrumpantur & putrescant, ut exin acquisita acrimonia, dum diutius in corpore morantur, tunicas intestinorum tenuiores, sua nitrositate exulcerare, & dysenteriam etiam causare valeant? Cum prunorum variæ species, facultatibus differentes, alia majorem noxam inferentes. Exin multis in locis à Magistratu, haud dubie consilio Medicorum, plærorumq; prunorum (exceptis Damascenis) venditio est prohibita. Recordor me ante annos septuaginta, Græcii, Stiriæ Ducatus Metropoli, aliquot species invectas, mandato Judicis à lictore in foro dissipatas, conspexisse, quod exitiosum alvi fluxum concitent. Exin haud rectè ille damnat *Edictum Cæsaris Augusti*, ne pruna in Urbem Romanam importentur, quia dysenteriam causare crediderit, sed non solam, quin & alvi fluxum concitent; & sanè verè credidit, sine dubio consilio Medicorum, & experientiæ fide impulsus.

Annon temerarium existimandum, refragari Experientiæ? Ambitio veritatem invertit, & leviculis ratiunculis etiam majorum Gentium Medicis obstrepit. Falsa est illius hypothesis, quasi dysenteria à biliosis, viscosis tantum humoribus producatur, & à frigida ac humida prunorum qualitate præcavenda potius, quam promovenda: Sed quin & à pituitosis & salsis humoribus æquè scaturiat, & pruna sua salsugine & nitrositate, si corrumpantur, majore acquisita acrimonia intestinorum tunicas vellicando, nimis abster-

gendo & abluendo eas corradant, & exulcerent, ad minus effrene alvi profluvium promoveant? Videtur abſurdum ſtatuere, pruna ob ſuccum aqueum non diu morari in inteſtinis, nec ob lentorem adhærere, ut exulcerare poſſint; id erroneum cenſendum, quin ob ſolidam & compactam pulpæ ſubſtantiam, craſſitiem & lentorem, ſat diu cunctentur, & indigeſta inteſtinorum involucris adhæreſcant, & tandem corrumpantur, & acrimoniam acquirant, cui inſita corrodendi & exulcerandi facultas, ob nitroſam qualitatem.

Etſi pruna, inprimis damaſcena, modicè comeſta, ſi cauſa bilioſa, interdum alterando & abſtergendo prodeſſe valeant, ſed in copia deglutita, an non rationi conſonum, & experientiæ congruum, ad minus diarrhæam, etſi rarius dyſenteriam concitare poſſe? Provocarem ad impartiales Medicos, ut candidè judicent, an non præcitatæ rationes potiores ac robuſtiores & experientiæ ſuffragantes? Cum illius diſcurſus copia, me inſcio, Viennam Auſtriæ cuidam Medicinæ Candidato tranſmiſſa, qui re cum primariis Medicis communicata, eorum requirens judicium, in ſua reſponſoria, hæc verba formalia inſeruit. *Excell. D. D. Thoneri judicium de prunis MIRE probatur Medicis Viennenſibus; nam & apud nos eorum uſus (exceptis Damaſcenis) eſt prohibitus; non ſolum rationibus, ſed ipſamet experientia etiam, quæ fidem facit, eſt compertum, horum comeſtione frequentiore ſæpiſſimè diarrhæam, rarius dyſenteriam, & quidem contagioſam, ſubſecutam fuiſſe.* Cum & ego cujusdam Medici celebris, primariæ Reipubl. Imperialis, de prædicto diſcurſu, cenſuram efflagitaſſem, ita reſpondit: *Pruna cruda, copioſius ingeſta, facile putreſcere, & corrumpi ſtomachum, & inteſtina lædere, diarrhæas & dyſenterias excitare, lippis & tonſoribus notum, unde à Magiſtratibus, in rebuspublicis benè conſtitutis, & vigilantibus, ea, damaſcenis exceptis, merito proſcribuntur, & à foro excluduntur, ne malum Epidemiale inferant*; ſed jam calamum ſiſto, & iſtam controverſiam candidis Philiatris cenſendam committo.

EPISTOLA III.

Ad amicum, *Quanti ſit æſtimandus Medicus Rationalis, & aliis præferendus?*

VErè Hippocrates, libello de decenti ornatu, literis tradidit; *Medicum φιλόσοφον eſſe, ἰσόθεον Deo æqualem.* Cum talis ſit ſapientia dotatus

tatus, virtutibus exornatus, & variarum rerum atq; ſcientiarum cognitione inſtructus, qui hominis naturalem totius corporis conſtitutionem, non tantum in genere, ſed & cujusque individui ſingularem partium temperaturam inveſtigare, & ſi ægrotare cœperit, morbi eſſentiam cum ejus cauſis indagare, exin Methodum medendi venari, & univerſalia theoremata applicare ſciat, ad caſus particulares.

Quin & talis Medicus debet eſſe peritus in prognoſticando, utrum morbus terminandus in ſalutem vel mortem? ad præcavendas calumnias, & majorem authoritatem ac confidentiam ſibi conciliandam. Ad illam cognitionem comparandam requiritur, ut in doctrina criſium ſit exercitatus. Tantarum rerum omnium exactam ſcientiam haurire licebit ex fonte ſolertiſſimi Galeni. Annon talis Medicus maximi æſtimandus, & celebrandus? Sed quid Empirici, Medicaſtri, & plerique Alchymiſtæ? omnia iſta tam præclara, ex ſocordia vel hebetudine mentis negligunt, & ſpernunt, qui non præcognita ægri Natura, nec eſſentia morbi cum cauſis explorata, audito tantùm nomine morbi, ilicò Medicamenta ſuppeditant, quæ tamen medicationes merè fortuitæ ſunt æſtimandæ. Etſi non raro rudes Empirici ab Idiotis, ob intellectus imbecillitatem, præferantur præclariſſimis Medicis.

Galeniſtæ reales, non nominales, laudibus ſunt extollendi, & in magno precio habendi, non qui titulum Galeni gerunt, ſed qui opere ipſum imitantur, juxta illius præceptiones praxin dextrè inſtituentes. Malè audiunt Galeniſtæ complures, quod in medendo haud felices; cauſa & culpa ipſis imputanda, quatenus nomine, non re, Galeniſtæ, cum ex magno numero admodum pauci, præſertim in Germania comperiantur, qui vel leviter tantum opera Galeni perluſtrarunt, juxta illius normam praxin exercentes; plærique Medici, Galeni dogmata profitētes, ſunt tantum uromantes, ex lotio ratiocinantes, inani dicacitate ſimpliciores convenire, & fallere ſoliti, tumultuariis purgantibus morbos curare annitentes, neglecta exacta cognitione morbi, ejusque cauſarum, & methodica medendi ratione, exin nihil miri, ſi ſæpius ſiniſter eventus verendus. Ego aſſeverare auſim, ſi quis in Galeni monimentis probè verſatus, in dignoſcendis & curandis morbis, ſecundum præcepta illius, cum judicio proceſſum inſtituat, eum proſpero ſucceſſu medicari, ſive ſit Galeniſta, ſive Alchymiſta. Multi ex præconcepta ſiniſtra opinione taxant Galenum,

cujus tamen ſcripta nunquam vel extremis labiis deguſtarunt, nedum interius noſſe laborarunt, aliorum calumniis fidem adhibentes. Galeni ſcripta citra præjudicium perluſtra, juſto pondera judicio, priori mutata ſententia palinodiam cantabis, & φιλογάληνος evades.

EPISTOLA IV.

Utrum in febribus continuis vini potus ſit concedendus? Ad primarium Medicum.

CUm inter *paradoxa Helmontiana* repoſueris, quod vinum in febribus continuis approbarit, pro potu quotidiano, cum viribus reficiendis inſerviat, id conſilium eſt plauſibile plebeis, qui aliàs præceptis Medicorum haud obſequentes, vini hauſtum præferunt, dicentes: Ich hab ſonſt kein Krafft. Si febres illæ non ſint ardentiores, à fervore bilis concitatæ, ſed à pituitoſis humoribus cauſatæ, & vinum oligophorum, indubium, quin ſalutiferum multis. Recordor haud pridem, quendam Theologum noſtratem, virum ſanguineo phlegmaticũ & corpulentum, febre illa moleſtatum, inſcio ſuo Medico, per totum morbi decurſum, vinum hauſiſſe, & evaſiſſe poſt in ludibrium Medicorum, quoties oblata occaſio, quaſi rem benè actam, aliis commemoraſſe. Liceat mihi & lepidam hiſtoriam ex obſervationibus *Philippi Höchſteteri*, Medici Auguſtani, ſi antea tibi nota, in memoriam revocare.

Cum Auguſtæ Vindelicorum quidam civis cum uxore, ex febre continua decumberet, Medici vini potum ceu exitioſum diſſuaſiſſent, percontatus eſt, utrum velint certam ſalutem ſpondere, ſi abſtemius? illis in ambiguo hærentibus, tum ille regeſſit, ſi moriendum, malle ſe vini, quam aquæ hauſtu perire; cum vini potum continuando eſſet reſtitutus, uxor autem præceptis Medicorum obſecundans, aquæ ingurgitatione defuncta, Medici ludibrio habiti, & jocis paſſim datus eſt locus. Exin Helmontii opinio, cum limitatione accepta, haud videtur repudianda. De Hippocrate *Macrobius* hiſtoricus aſſeverare non dubitat, poſt homines natos, non fuiſſe ſapientiorem, qui nec fallere, nec falli potuerit, quod elogium aliàs ſoli Deo competit. Ipſe *Lipſius* (cujus judicium magni æſtimandum) de

de Hippocrate & Aristotele palam profiteri non dubitat, se illos unicè admirari, qui sibi videantur in hominibus excessisse fastigium humanum. Etsi illi duo, in Medica & Philosophica facultate, à prima antiquitate, ad nostrum usque ævum, quasi summates, pro Divis habiti & culti, ast eo spreto & neglecto, *Helmontius* ambitione magis impellente, quam Ratione, illos alto supercilio despiciens, eorum dogmata abrogare, & penitus exauthorare, sua autem paradoxa surrogare, pro virili contendit. O dolor! ô pudor! Tria illa grandia luminaria, Hippocratem cum Galeno, ejus interprete & Aristotelem, tam indigno modo excepta, Helmontio cum asseclis, illis extrema machinantibus, & omnem splendorem obfuscantibus!

Annon aliàs in votis habendum, & à summo Deo imprecandũ, bonum Angelum cælitus demittat, ad excitandum & impellendum habile aliquod ingenium, ut calamum sumat, & mentem intendat, ad patrocinium suscipiendum, & totam venerandam antiquitatem, à tam gravi insimulatione, quasi infinitorũ errorum, vindicandam. Vix à condito ævo ullus liber typis excusus, tot & tantis paradoxis refertus, qui requirat tantam vim ingenii, ad refellendum opus immensi laboris, ut ægrè reperiendus, qui attentare & tam ingens opus subire ausit. Annon totus omnium Medicorum Rationalium exercitus, adversus insolentem & jactabundum Antagonistam insurgere, arma expedire, non gladio sed calamo confligere, & quilibet sua symbola conferre deberet, veluti contra communem hostem, ad vindicandam injuriam, & demonstrandam innocentiam, omnes nervos intendentes?

EPISTOLA V.

Ad quendam Medicum, de Uromantia.

QUod æquè tibi displicet, eorum Medicorum studium, qui vel ad favorem, & accursum popularem conciliandum, vel lucellum aucupandum, uromantiam exercere, & simpliciores vaniloquentia circumvenire & fallere soliti, exin relucet animi tui candor; sed qui illum decipiendi modum non observat, vulgo negligitur, & velut rerum Medicarum imperitus, diffamatur. Haud abs re ridiculam subjicere Idi-

otarum de Uroſcopia phantaſiam. Cum ante annos quinquaginta ſex, à Senatu cujusdam Reipubl. Imperialis, pro Medico Ordinario in Almangoia receptus, ſedem & familiam meam eò transtuliſſem, uxor mea tum erat gravida, cum menſtruo ſpacio poſt meum adventum enixa, & quædam fœminæ illam in puerperio more ſolito viſitaſſent, & ſermo incidiſſet, quid de Uroſcopia ſentiendum? tum una ex primariis ſeriò & ſine rubore reſpondit, ſe audiviſſe ſæpius, eum Medicum floccipendendum, ſi offeratur alicujus Ruſtici urina ſpectanda, & dijudicanda, ni extemplo non modo morbi genus cognoſcere, ſed & ipſum pagum, ex quo ille oriundus, deprehendere & judicare valeat. O ſtupendam ſimplicitatem! ô miſeram ſortem ingenuorum Medicorum, conſimili in loco praxin exercentium, & tam ſiniſtram criſin experientium! Si cujus in pectore vel quinta eſſentia omnium artium & ſcientiarum reſideret, nec ad illas nænias & fallacias ſe aſſuefaceret, haud magno haberetur in precio, quin leviſſimus & rudiſſimus Blatero præferretur, vel ipſi Hippocrati & Galeno. Id deplorandum, vix emendandum, cum prava illa conſuetudo tam profundas egerit radices, ut Salomonis Sapientia vix ſufficiens ſit ad diſſuadendum.

EPISTOLA VI.

Ad Philiatrum.

Cenſura de Panacea Chymicorum.

CUm ingens ſit concertatio inter Medicos & Chymicos, de Medicina univerſali, utrum talis Panacea, quæ omnigenis morbis propulſandis, facultate inſtructa, artificio humano præparari queat? Etſi nemo negarit, arte ſpagyrica talia medicamenta adornari poſſe, quæ multis deſperatis morbis averruncandis ſufficiant, ſed utrum tale catholicum concinnari queat, omnibus morbis abigendis proficuum, meritò in dubium vocatur, cum ipſe *Crollius*, inter primates Alchymiſtas haud poſtremus, in præfatione ſui Operis pharmaceutici, palàm profiteri haud vereatur, *quod Ars illa ſit ſupra rationem humanam, nec ullius ingenii acumine inveſtigari poſſit, quin Solius Numinis divini gratia propalanda iis, qui ob pietatem digniores exiſtunt.* In vanum igitur laborant, qui ſibi Panacea conficien-

conficiendi rationem cognitam esse jactitant, & illius vim in auro latitare, quod potabile reddendum.

Sed quantum hic litigium inter ipsos Alchymistas, dum complures pernegant, Aurum Potulentum fieri posse, cum ejus virtus in parte heterogenea sulphurea sit abscondita, quæ separari nequeat per menstrua corrosiva salina, sed requiratur menstruum universale, scilicet Mercurius Philosophicus, qui utrum ab ullo homine præparari possit? valde est controversum; Si is confici non potest, ergo nec aurum potabile reale, sed opinabile: Cum & ipse Dominus Doctor *Sennertus* existimet, quæ auri potabilis nomine venditantur, esse tantum magisteria, vel aurum in minimas & subtilissimas partes solutum, & menstruo mixtum; quin & *Hartmannus* profitetur, facilius esse, aurum ex non auro construere, quam aurum naturale destruere. Cum partes Auri, & ejus Principia separare, tam sit arduum, qui igitur calleat istud artificium, in Utopia erit quærendus.

Prisci Philosophi universalem Medicinam indagarunt, in Auro, non in tam immensa Vegetabilium farragine, more Lulliano, cujus essentia videtur coacervata, nulla ratione duce, sed fortuita mistione, depromta ex Vegetabilium Mineralium & lapidum innumero numero, Consimilis confusanea congeries vix unquam à condito ævo ab ullo homine coagmentata, nec ab ipso Lullio ista essentia præparata, cum ad ejus compositionem requirantur opes immensæ, & sumtus excedentes aliquot millium florenorum numerum. Mihi est admirationi, *Lullium* æstimari à quibusdam omnium Philosophorum principem, cum non tam veri Philosophi, sed Sophistæ potius personam repræsentare sit existimandus, dum in sua arte non tam genuinam Philosophiam tractare, sed de quovis scibili in utramq; partem sophisticè tantum disputare, ingenia juvenilia vanis subtilitatibus exercere, & se mutuo exagitare doceat.

Si vera, quæ *Nicolaus Guibertus* Medicus Lotharingus, in libello de Alchymia edito tradidit: *Raimundum Lullium fuisse Laicum illiteratum, mercatorem obæratum, & uxoratum, sed tandem Magiæ addictum, relicta conjuge & liberis, Monachum Ordinis Franciscani factum, tandem hæreseos accusatum, & à Pontifice Romano 500. errorum damnatum, In Catalonia ab ipso Cacodæmone artem Lullianam dictatam, in quodam monte, specie Christi crucifixi ei apparuisse, & secreta revelasse.* Si ille talem habuit Præceptorem, informatorem, &

in suis actionibus adjutorem, quid miri, si præ aliis sapere, & prærogativam habere visus?

Etsi concederetur, universalem Medicinam adversus varios morbos ex vitiosis humoribus & intemperie pronatos, beneficio artis Chymicæ præparari posse, quin ista operatio proveniat, non tam Naturam, hoc est, calorem nativum confortando, qui omnium morborum domitor, & exactor, alimentis conveniente cibo ac potu magis reficitur, quam medicamentis, sed vi hydrotica & diaphoretica vitiosos humores attenuando, per habitum corporis eliminando, & per alvum etiam exterminando.

Cum verè *Hippocrates*, omnium morborum causas referat, in bilem & pituitam, & utriusque varia genera proponat, à ratione haud alienum, dari talem Panaceam, quæ tales humores, ubivis locorum hærentes, attenuare, resolvere, obstructiones reserare, & naturam corroborando calori nativo adminiculari valeat, quicquid morbosi, per varios cuniculos corporis ejiciendi, & naturam vindicandi in sanitatis statum.

Cum olim *Panacea Aurvaldina* summoperè decantata in propulsandis variis morbis, eum effectum exerendo, non tam naturam confortando, quam vi diaphoretica, & occulta qualitate operando, cum teste *Libavio*, qui illam per δοκημασίαν ignis probavit, & deprehendit, concinnatam ex hydrargiro & cinnabari, quæ duo mineralia nullam corroborandi facultatem obtinent, sed ἐνέργειαν suam virtute diaphoretica perficiunt.

Utrum Auro crudo forma pulveris, vel eo candescente, in liquore aliquo extincto, & exhibito, aliqua virtus in morbis propulsandis? sub judice adhuc hæret litigium: quidam affirmant, negativam defendunt Authores, qui contra *Iohannem Agricolam* calamum strinxerunt, & si quæ exin operatio sequatur, non tam auro dissoluto, quam ejus menstruo salino, istum effectum assignãtes, annon cum & alia foliis auri sint commixta, quibus inest vis confortandi, sociis potius medicamentis ista ἐνέργεια erit attribuenda?

Cum Dioscorides *acetum scilliticum* in vario morbi genere mirè commendet, oblongo contexto catalogo, tandem subjiciens, in sũma: *ad omnia efficax.* Erit igitur quasi Panacea omnium morborum, si illius dictata congruerent cum experientia, & vel auro potabili præferenda. Miror & obstupeo, si illud tantarum virium, & in haud magna dosi sumendum, in præservandis & curandis omnigenis morbis tantoperè proficuum,

proficuum, quod nullus mihi Autor ex Medicorum forte compertus, etsi plaustra librorum pervolutarint, qui illud in morboso & sanitatis statu ad medicandum & præservandum (exceptis affectibus pectoralibus) ordinare solitus? Si Dioscoridis præconia indubia, & unico illo remedio, quasi omnes morbi propulsandi, ad quid opus, ægros penè infinita medicamentorum, præsertim validè purgantium, farragine, cum virium jactura torquere, & inanes sumtus impendere? Si illud responderet experientiæ, ô quàm beati essent ægroti! Ego sanè ex illo labyrintho me expedire non possum. Cum æquê miranda à Galeno *l. 3. de Medicinis paratu facilibus* (qui tamen tractatus, *Matthiolo* teste, pro adulterino Galeni habetur) de Aceti illius facultatibus sat prolixè recenseantur, si omnia congruerent cum experientia, dixerim verè, illud omnibus Panaceis præferendum, ob præstantiam effectus, ob exiguum precium, & facilem præparandi modum.

Iterum admirari soleo, si illud tam admirandarum virium, in averruncandis omnigenis morbis, quod eo neglecto, vel levissima media in subsidium adhibeantur à quibusvis Medicis, ut mens dubia, ne hyperbolicè illa congesta. Cum acetum Scilliticum, instar Panaceæ adversus varios morbos mirè celebratum, eum effectum exerens, non naturam, & calorem nativum confortando, sed attenuando interiora viscera, & vasa reserando, humorum crassitiem incidendo, & lentorem abstergendo, quo calor mediante facultate expultrice expeditior, ad noxios humores exterminandos; solus calor, quantumvis robustus, haud foret sufficiens, ni obstaculis istis dimotis.

Secundùm sententiam *Dioscoridis* datur quotidie jejunis sorbendum, inter initia exiguum, paulatim ascendendo, ad cyathum, hoc est, ad drachmas decem, vel unciam unam semis, nonnullos binos dare cyathos. Si ad tantam dosin progrediendum & aliquamdiu continuandum, cum insignem habeat vim attenuandi, non solùm humores excrementitios, sed & nutritios seu alimentales, evacuabit, exin præsertim ab homine sano usurpatum, in quo nullæ redundant excrementitiæ superfluitates, in quas agere, easque exterminare valeat, exin contingit, ut humidum radicale & utiles humores aggrediatur, eos colliquando, & naturam stimulando ejiciat, & ita neutiquam vitæ prorogandæ, sed abbreviandæ potius inserviat. Prout ego attestari possum, proprio in corpore expertus. Cum enim ante 40. annos illius vix drachmarum duarum

dosin

dosin per tres matutinas sumsissem (cum mea natura mollior, nec superfluis redundaret humoribus) macrescere cœpi, effluenteque per alvum materia lenta sat copiosa, contracto abdomine toto, nî maturè destitissem, in tabem seu ἀτροφίαν incidissem. Si tanta vis attenuandi in dosi exigua, quid spei concipiendum, si ad cyathum vel ulterius progrediendum? Exin relucet, illud acetum magis convenire in corporibus morbosis curandis, quam sanis præservandis. Respectus & discretio habenda doseos, Naturæ, morbi, & temporis, aliàs experientia teste, nimis serotina pœnitentia docebit, non quibusvis remediorum præconiis sine discretione fidem adhibendam, ne dum ad vitæ longævitatem adspirare contendimus, spe frustrati, incidamus in cymbam Charontis.

EPISTOLA VII.

Ad quendam primarium Medicum, cuiusdam Reip. Imperialis.

Censura de Helmontii Opere.

QUod meas lucubratiunculas tibi admodum placuisse refers, & insuper artis nostræ perenne decus vocare dignatus es, quin isto encomio pectus meum haud levi gaudio perculsum, quid ni profitear? Non enim in animo meo tanta ἀπάθεια stoica, ut ab honesto elogio alienus, aut immobilis. Olim clarissimus D. D. *Gregorius Horstius*, vix annuo spacio ante suum ex hac vita excessum, in quadam privata conversatione palàm est professus, se me honorare, & habere pro ornamento Collegii, non tantùm ob ætatem senilem, sed & alias qualitates, atque hujus sermonis testis sit Deus immortalis; Etsi virorum literatorum, cum quibus mihi consuetudo intercessit, honesta semper de me censura, non minus haud eram ad genium vulgarium, qui parùm æqui judices, ob hebetudinem mentis, aut imperitiam rerum, in Medicos ingenuos, & veritatis amantes, quin fallaces uromantes magis extollentes; proin causa edendi ac publicandi meas observationes, principalis fuit, ad sinistra Zoilorum judicia propalanda & refutanda. Commendas haud leviter meum methodicum & cautum curandi processum, haud abs re; qui

qui enim negligit aut contemnit Methodum medendi, antiquam, Galeno-Hippocraticam, is repugnat rationi, & tot seculorum experientiæ. Cùm felix curandi ratio consistat in exquisita morborum & causarum investigatione, & convenienti remediorum applicatione, quò perveniendi, viam monstrat Methodus. Iis in locis, ubi ægros ostiatim in suis ædibus visitare, & coram intueri licitum, ibi prudens ac discretus Medicus suum intellectum exercere potest, cum sui nominis encomio, morbi essentiam indagando, ejus causas cum loco affecto rimando, vires observando, & cautè ac circumspectè procedendo, ne obsit, si prodesse nequeat. Ubi οὐροσκοπία viget, methodica sanandi ratio locum habere non potest, cum ex lotio solo, nec morbi genus patescat, nec ejus causarum cum loco affecto inquisitio fieri queat, nec virium conditio sit comperta, quid valeant, quid ferre recusent, sed cuncta temeritati fortunæ committere oporteat; exin Medici illis in locis praxin exercentes, & ex urina vaticinia fundentes, valida purgantia ἄνω καὶ κάτω sursum & deorsum evacuantia, nulla ratione duce, aut methodo observata, ordinare soliti, tumultuariè quosvis humores obvios exturbando, ut merè fortuitæ curationes contingant. Exin quidam nostratium Medicorum, cui nomen *Berendein*, præ cæteris celebrior olim uromantes habitus, hoc est, callidior inani dicacitate, simpliciores circumveniendi ac fallendi artifex, joco serio dicere est solitus, si rusticus consilii causa accedat, tum se ordinare, **ein gute starcke** purgation, **wanns nicht helff / so soll ihm Gott helffen**; Illum complures Medici etiam hodie æmulantes, omnia in extremis locantes, non rarò sinistrum successum experiuntur, cum sui nominis haud levi dispendio. Quamvis plerique morbi ita comparati, ut solis purgantibus non cedant, quin & alia requirantur præsidia diuretica, hydrotica, diaphoretica, vel peculiari qualitate antipathetica resistentia. Si esset ad manum panacea, omnibus morbis & naturis accommoda, sed in Utopia reperienda, tum nulla opus foret methodo, aut laborioso studio, ipsi Galeno cum Hippocrate, ultimum Vale dicendum, & in ocio ævum transigendum, sed talis panacea in phantasia adhuc hæret, non dum existit in ἐργασίων, & ibidem residebit, usque ad consummationem seculi. Interim tam Galenistæ, quam ipsi etiam Alchymistæ, opus habituri Methodo, velut amussi & regula, aliâs merè fortuita, & infelix curatio expectanda.

Sed quidam Hermetici novitii, ambitionis (quæ artium eſt corruptrix) ſtimulis agitati, factiones & diſſidia inter Medicos concitare ſoliti, Methodum veterum annihilare, & penitus abrogare contendunt. Perquam verùm, ſicuti in vita, moribus & corporis habitu, quotidie innovationes contingunt, non ad honeſtatem, ſed levitatem: ita & dogmatum antiquorum mutatio eſt directa, non tam ad verum inquirendum, quam evertendum, & varia paradoxa invehenda. Olim *Theſſalus* jactabundus, Gal. 1. methodi, miſſis literis ad Neronem, ſe novæ ſectæ conditorem, quæ ſola ſit vera, omnes alios Medicos deſpiciens, ne Hippocrati parcens, quin ipſius præceptiones ceu noxias, traducere veritus nō eſt. Illi haud abſimilis videtur *Helmontius*, qui pro virili eſt intentus, quomodo dogmata veterum, tam practica quam theoretica, è medio tollenda, & ſua paradoxa ſint ſubſtituenda? Cum cor humanum ſit appetens novitatum, & nullum tam abſurdum ingens in orbe emerſerit unquam, quod non haberet ſuas aſſeclas, & Patronos, indubium, quin & ille complures aſſecuturus applauſores.

Judicium de illius ſcriptis interponere, haud expeditum videtur, cum quot capita, tot placita. Medici juniores, qui non ſunt verſati in veterum monumentis, & qui argutiores & inſolentiores, ſed τὸ βȣλευτικὸν habentes ἀτελὲς, novitia & abſona mirantur, & extollunt; Seniores autem Medici, quibus obtigit ὄμμα τῆς φρονήσεως, oculus prudentiæ jam eſt apertus, politiori literatura imbuti, & moderato animo præditi, illas novitates deſpiciunt. Exin contingit, cum tanta ſit ingeniorum diſcrepantia, ut alius Medicus hunc, alius iſtum authorem præferat & laudibus evehat. Prout enim in convivio lauto & opiparo, ubi varia fercula appoſita, alius hoſpitum de hoc, alius de illo cibario promit & ingerit, pro naturali inclinatione: idem in lectione & electione librorum fieri aſſolet, pro cujusque genii propenſione.

Si cuncta, quæ in illis libellis comprehenſa, forent approbanda, quantam famæ jacturam tota facultas Galeno Hippocratica, & ipſa etiam philoſophia Ariſtotelica, ſuſtinere cogeretur, quod falſis dogmatis per tot ſecula poſteritati impoſuiſſet, tam craſſa pituita naribus farctis, ut tanta errata odorandi facultas denegata.

Obtigit quidem *Helmontio* perſpicaciſſimum ingenium, ſed ad inſolentiam & ambitionem nimis devergens, & Monarchiam Medico-Philoſo-

Philoſophicam affectans, pænè totalem Medicinæ Galenicæ & Philoſophiæ Ariſtotelicæ reformationem, imò exauthorationem inſtituens. Omnia quidem ſat argutè proponit, ſed iſtæ ſpeculationes mihi videntur ſubtiliores, quam utiliores, cum theorica magis quam practica concernant, exin Academicis & junioribus, novitates affectantibus, convenientiora. Nihil eſt tam incredibile, quod dicendo non fiat probabile; quæ cum ratione quadrant, erunt acceptanda, quæ diſſonant, repudianda. Mihi videntur, majori ex parte, eluſiones argutæ, quàm ſolidæ refutationes veterum, ſi ad rectæ rationis dioptram examinanda, nulla ſat firma argumenta obſervo, quin innumeræ falſæ inſimulationes occurrant. Si verum fateri fas, Medico practico, præſertim ſeniori, illius lucubrationibus carere facilè licebit, major fructus redundabit ad Academicos, in diſputationibus ſe mutuo exercentes & exagitantes.

Suum cuiq; liberum per me eſto judicium. Ego ſum & ero in veteribus militiæ Galenicæ & Ariſtotelicæ caſtris, nec ad ullas novitates, robore argumentorum haud ſatis firmatas, tanquam transfuga jam grandævus deflectam.

Epistola VIII.

Ad eundem, de eodem.

Paradoxa, de Catharri deliramentis, & infantum pulmentis ex cerevisia, refellens.

Accepi literas tuas, mihi pergratas, unà cum inſertis annotationibus, ex *Helmontii* operibus excerptis, eò acceptiores, cum ex iiſdem cognovi, tuam cenſuram cum nupera mea ſententia congruentem, & animum tuum æquè à paradoxis illis alienum. Interim in animo meo haud levis concitata illa admiratio, quod ex opere illo, velut immenſo abſurditatum Oceano, tantum chaos colligere, & compendioſè proponere, ſuſcepto tam tædioſo labore, corporis & mentis vires defatigare ac reſolvere non dubitaris. Videtur in illo opere contineri cōngeries & ſentina paradoxorum, quibus juniorum præſertim Medicorum

ingenia (qui iſtis λόγοις καὶ ψόγοις prout Galenus noſter vocare eſt ſolitus) ſe oblectare, mutuò exercere, & exagitare conſueverunt, inprimis autem Alchymiſtis ſunt plauſibilia, quibus ex quadam quaſi innata antipathia bellum internecinum cum Galeniſtis.

Obtigit *Helmontio* à prima ſtatim juventute vagabundum ingenium, ab initio Aſtronomico ſtudio ſe addixit, cum id minus arrideret, Theologiæ dare operã,& ordini Capucino (cujus ſectatores videntur ſtoici Chriſtiani) ſe devovere conſtituerat. Sed cum illius natura imbecillior, veritus, ne ob regularum rigorem ordinis auſteritatem ſuſtinere queat, mutata ſententia, ſaltum ad Medicinam & Philoſophiam fecit, Galeno & Ariſtoteli (infelici horum Fato) extrema eſt machinatus, ſi in Theologia perrexiſſet, haud dubiè novam hæreſin excluſiſſet, quanta abſurda & falſa in illius opere ſint obvia, haud abs re paucis ſaltem exemplis, (in patrocinium Galeniſtarum) propalare Medicis Galeno addictis. Affingit eos ſtatuere, tuſſim aſthma, artriticos affectus, à ſolo catarrho à capite depluente proficiſci. Cui reclamant penè omnes practicorum libri, ut ſupervacaneum eos allegare, vel unicus *D. Sennertus* ad opponendum ſufficiat, à quam variis cauſis illi morbi proveniant?

Cum Author ille, negans, prædicta pathemata oriri à defluxionibus, quin ſcopticè Catarrhi deliramenta vocare veritus non ſit. Annon id optimo jure retorquendum, & aſſerendum, illum deliraſſe, hoc eſt, à lira veritatis aberraſſe; dum tam falſas inſimulationes ſuo calamo conſignare non dubitavit?

Inficiatur, Podagram à defluxionibus concitari, ſed tantùm per congeſtionem materiæ mucilaginoſæ, in articulis ebullientis & fermentantis. Etſi id interdum concedendum, præſertim in podagra per congeſtionem ſenſim pronata. Cùm dolores podagrici non ſint uniformes, alii intenſi, alii remiſſi, alii cum magna diſcraſia calida, alii cum frigida, alii cum magno, alii cum exiguo tumore conjuncti. Ergò cauſæ materialis magna erit diſcrepantia, id redarguit, ſolam mucilaginem in articulis hærere. Quin arthritici dolores à deſtillationibus majori ex parte exordium ſumant, ipſa αὐτοψία & ἐμπειρία luculentum teſtimonium ferunt, à quibus multò major concitatur cruciatus, dum humores ſeroſi, acriori qualitate præditi, ac ſpiritu ſalino imprægnati, & pauciores magno impetu & violentia irruentes, & per venas ſe extorquentes, continuitatis ſolutionem cauſantes, in articulos ſe inſinuant. Caſus ſextus in meis conſultationibus *de arthritide*

thritide vaga, omnes articulos perreptante delineatus, omnes adversarios falsitatis arguet, & luculentissimè convincet, qui sanè dignissimus esset, ut omnibus Helmontii asseclis legendus obtruderetur, cui nemo refragari ausit, cui cerebrum est incorruptum. Consimilem & tam singularem casum, in aliorum Medicorum observationibus descriptum, non extare, vel ipsa invidia fatebitur.

Quoad observationem meam de arthritide vaga seu universali, omnes articulos occupante, & ab uno membro ad aliud successivè quasi saltante, qui casus vel solus Helmontium falsitatis arguet, & demonstrativè convincet, podagricos affectus non solum à congestione, quam defluxione humorum concitari, majoris evidentiæ causa pauca addere, haud abs re duxi. Casus ille olim D.D. *Gregorio Horstio*, adeò placuit, ut eum suis observationibus inseruerit, & in suo rescripto ingeniosam symptomatum deductionem vocare sit dignatus, & ob suam raritatem, ut philiatris communicaretur, dignissimum judicarit. Cum arthritici illi dolores subito ac derepente invaserint, ab uno membro ad aliud transiliendo, & ingentem cruciatum concitando, cum haud levi tumore partium, exin indubia conjectura captanda, illa symptomata per depluvium ac destillationem humorum, ex venoso & arterioso genere in extremos artus decurrentium, prodiisse: cum si per congestionem nata, sensim collecta materia, & partibus jam consueta, multò majorem cruciatum & tumorem concitare solita, & ipsi ægri humores è venis velut tubulis & gutturnio quodam descendere, & in partes se insinuare sentiant, palàm ut obstinata petulantia æstimanda, in re tam luculenta refragari, & ipsis sensibus repugnare, si cum tali litigandum, perinde esset, ac ignem ferire gladio.

Ad comprobandam defluxionem, in arthriticis & podagricis affectibus, notatu dignissima judico, quæ *D. Fælix Platerus* in suis observationibus, tradidit: Podagricorum membra interius (gutta cavat lapidem non vi sed sæpe cadendo) adeò esse perforata, ac si à tineis vel xylocampis exesa, (deren mit dem Podagra behaffte Glieder/ seyen inwendig von den Flüssen also durchlöchert/ als wann sie von schaben oder Holzwürmen durchfressen weren/) ipsam sectionem ostendere sinubus oblongis & angustis, præsertim in locis carosis seu musculosis, quorum spatia nervi, citra omnem annexum pervadant, per quæ & defluxiones, nervi ductum comitantes, ferantur: à

quibus & continua deſtillatione humoris ampliata ſpatia veluti attrita, levi etiam cauſa humores commotos ſuſcipiant, quæ itidem cauſa ſit præcipua, quod diuturna podagra laborantes, facile in hunc affectum recidant, & malum illud, ob iſtud organi vitium ſit immedicabile. Unica illa αὐτοψία & fides Anatomica refellit omnes Helmontii aſſeclas, ut exors rationis, qui refragari auſit.

Quin & illud dicterium, in *Humoriſtas* jactatum, intactum relinquere non poſſum. Et ſi quatuor humores, in homine exquiſitè ſano, in maſſa ſanguinea, per venæ ſectionem emiſſa, non extare, cernantur oculorum judicio, ſed ratio ſuadeat, exemplo lactis, quod apparet homogeneum, & tamen tribus conſtat partibus, ſeroſa, butyroſa, & caſeoſa: ita ſanguis, etſi homogeneus oculorum cenſura appareat, tamen quin compactus ex diverſis partibus, exin liquet, per portionem nigriorem deſignari humorem melancholicum, per rubicundiorem ſanguineum, per ſubtiliorem ad flavitiem inclinantem, bilioſum. Et iſti humores ſunt alimentarii, non excrementitii. Etſi in corpore hominis, optima temperatura præditi, rem ita ſe habere, exiſtimari queat, ſed in valetudinariis & morboſa diſpoſitione, bilioſos, pituitoſos & melancholicos humores excrementitios non reperiri, aſſeverare velle, ἄλογον & ipſis ſenſibus contrarium. Cùm *Hippocrates* verè tradat, omniũ morborum cauſam eſſe bilem & pituitam, cum autem utriusque variæ ſpecies, etiam diverſi morbi concitantur. Ipſi ſenſus teſtimonium ferant, & ipſa excrementa convincant. Siquidem illi humores exorbitent, hominem ægrotare, an non temerarium, ipſis ſenſibus repugnare, & in vanum cum talibus litigare? Quamvis rixa & contentio potius videatur eſſe de nomine, dum excrementitios humores, morborum effectores, negare non poſſint, ni omnis rationis exortes, ſed ex odio in Galeniſtas, odiſſe etiam ſolent humoriſtas, bilis vocabulum exauthorantes. O vanitatem! Si bilis nomenclatio diſplicet, corruptos humores, morbos cauſantes, admittant: ad quid confert iſta verbalis altercatio, modo conſtet realis exiſtentia? O miram & antipatheticam in Galeniſtas temeritatem!

In homine ſano, cui obtigit temperatura calida & humida, Epar & Lien coloris ſanguinei apparent, exin ſanguis rubens generatur, & complexio ſanguinea emergit: ſi calidior & ſiccior conſtitutio, etiam Epatis & Lienis color obſcurior, & ſanguis bilioſior, ad flavedinem magis

gis devergens, obſervatur; ſin frigidior & ſiccior craſis obvenerit, Epar & Lien inclinat ad colorem lividum, & ſanguis melancholicus lividior producitur. Exorta namque ſuorum principiorum naturam referunt: qualis cauſa, tale cauſatum. Rem ita ſe habere, ex ſanguine per venæ ſectionem extracto, & anatomica fide, ad oculum poteſt demonſtrari, prout pateſcit ex caſu anatomico in meis Epiſtolis p.274. *de natura & morbo melancholico*, circumſtantialiter adumbrato, lege, perpende & cenſe rectis oculis intuendo, dimoto partiali affectu, & rei veritatem deprehendes.

Coronidis loco unicum adhuc proponam, mea opinione maximum abſurdorum, dum pro ſingulari & ſalutari conſilio propalare, veritus non eſt, ad infantum vitam longius producendam, eos non lacte (quod noxium, cum facile in ventriculo aceſcat, & grumeſcat, exin varii morbi vitam decurtantes proveniant:) quin eorum alimenta paranda ex pane decocto in cereviſia tenui, cum melle deſpumato, ad geladinæ conſiſtentiam, pro potu autem exhibendam cereviſiam aquoſam. Annon verè novum, & poſt homines natos inauditum infantibus porrigendum edulium? annon abſonum conſilium, à mente præpoſteris cogitationibus obfuſcata, profectum; ex falſa illa hypotheſi fluens, quod cereviſia tenuis, cum melle mixta, minus quam lac corruptioni ſit obnoxia. Id repugnat rationi & experientiæ, cum cereviſia, cum melle contemperata, in ventriculo calidiore ob dulcedinem facilius bileſcat, in frigidiore autem aceſcat, & diarrhæam invehat. Accedit, quod cibus ille parum nutriat, non firmum ac ſtabile alimentum ſuppeditet: infantes autem indigeant cibo multum nutriente, nec brevi reſolubili, cum multo redundent calido nativo, quod requirit copioſum fomentum. Cum illis etiam obtigerit natura humida, quæ ſimilibus commodius conſervanda ac ſuſtentanda, nullum convenientius excogitandum, quam ex lacte paratum edulium.

Cum infantes, ob naturalem corporis conſtitutionem calidam & humidam, admodum proclives ad diarrhæam, quin ex prædicto victu verendus ſit quaſi continuus alvi fluxus, in mortem terminandus, ob conſiſtentiæ tenuitatem, mellis abſterſoriam qualitatem, & lupuli purgatoriam facultatem. Erit cibus & potus medicatus potiùs, quàm exquiſitè ſano expediens.

Cum hiſce diebus incidiſſem in quendam Medicinæ Candidatum, qui in Auſtria aliquamdiu in praxi ſe

exercue-

exercuerat, & mentio facta Helmōtiani consilii, is suo suffragio meas rationes confirmavit, & retulit, Viennæ vel mulierculis esse cognitum, si infantum alvus constipata, exhibere lingendam cerevisiam albam, cum melle mixtam, & ilico laxari.

Insuper, cum ventriculus infantum sit tenellus ac mollior, ideoq; ad cibaria duriora digerenda imbecillior, exin, cum panis cum cerevisia ad Gelatinę consistentiam coctus, solidior, idcirco alteratu difficilior: farina autem cum lacte ad pultis formam redacta, concoctu expeditior, & illorum naturæ convenientior: quin lac non tantùm infantibus, sed & profectioris ætatis hominibus optimum alimentum præstet, & ad longævitatem acquirendam plurimùm inserviat, luculento sint exemplo ipsi Helvetii vetustissimi, ab incunabulis lacticiniis enutriti. Appello & provoco ad infallibilem experientiam, si fieret periculum, ut aliqui infantuli, sanæ constitutionis, committerentur lactandi nutrici, itidem laudabilis complexionis, & pulmento ex lacte enutriendi: quin & totidem alii infantes, juxta Helmontii præscriptum modum, ex cerevisia aliis alendi traderentur, indubium illos longævos fore, hos autem intra paucas septimanas, è vita excessuros, diu noctuque plorantes, & deplorantes edulium, à Summo DEO & natura ipsis destinatum, subtractum, & substitutum aliud genus, nimis tenue ad famem sedandam, minus commodum, insuper alvi fluxum concitans, ut præmaturè in mortis fauces præcipitati. Mihi in votis, ut omnes Helmontii asseclæ, ejus sputum lingentes, solo pulmento ex pane & cerevisia confecto, & haustu cerevisiæ aquosæ, menstruo tantùm spacio alerentur, indubium, quin Authorem, priusquam ad medietatem temporis pertingerent, execrari, & diris devovere soliti, pro tam exitioso consilio, dum exin nimis tenue alimentum, nec ad vires restaurandas accommodatum, suppeditatum, insuper varia molesta symptomata consectaria, inprimis stomachi imbecillitatem & periculosam diarrhæam verendam. Ad obviandum objectionibus, ab Helmontio in medium allatis, si complures infantes convulsionibus Epilepticis, torminibus ventris, & aliis symptomatis confecti, maturiùs à morte abrepti, causa & culpa lacti per se haud videtur imputanda.

Si nutrix obtingat sanæ complexionis, & lac laudabile, nullis vitiosis humoribus inquinatum, sugendum porrigatur, & pulmentum ex illo ritè paratum, exhibeatur, nec infans præditus sit natura infirma & vitiosa,

vitiosa, nec lac in copia ingestum, ut eo obrutus ventriculus id concoquere nequeat, exin indigestum corrumpatur, & in virus vitriolatum degeneret & acescat, nervoso generi inimicum, convulsiones inprimis epilepticas causando, mortem inferat, prout experientia testatur, si infantes vel leviter plorare incipiant, diu noctuque vel lac è mammillis sugendum offeratur, vel pulmentum deglutiendum obtrudatur,, ut conticescant & quiescant. Exin si quid morbosi succedaneum, omnis noxa innocenti lacti assignatur: si pultis cum potu ex cerevisia, secundum Helmontii præscriptum, dimidia tantùm quantitas quotidie porrigeretur, vix tot septimanas infans in vita perseverare posset, quot annos cum lactis edulio & potu salvus & incolumis conservandus.

Hæc exacto tuo judicio ponderanda committo, annon grandia, etiam exitiosa paradoxa, in Helmontii opere occurrant, prout à te laboriosè collecta, & in sat magnum fasciculum redacta; mihi in votis, ut omnibus illis Patronis visenda traderentur, ad perspiciendum, qualem nacti præceptorem, & ad resipiscendum à tam præposteris opinionibus, ut obstupescam, illum à quibusdam tantoperè æstimari.

Cum *Helmontius* etiam jactitet revelationes & visiones divinas, quarum instinctu & adminiculo, artium & scientiarum reformationem instituerit. Si res verè ita comparata, & non commentitia, aut Phantastica, tunc illa non sunt à bono aliquo genio suggesta, cum illius intentio haud bona, quin directa non ad verum inquirendum, sed ad corrumpendum & evertendum, imò penitus tollendas ingenuas artes & scientias, à summo Deo pro salute generis humani concessas. Ergò à spiritu vertiginis exagitatus quasi innumera paradoxa, veluti μῆλον τῆς ἔριδος, *pomum litis ac dissidii* projecit in medium, factiones inter literatos concitando, & seminaria altercationis spargendo. Omnes novatores & sectarii (etiam in Theologia) ut suis quantumvis absurdis dogmatibus majorem conciliarent fidem & authoritatem, divinas sibi obvenisse revelationes mentiti sunt, ad fallendum & decipiendum.

Haud abeam à vero si dixerim, à condito ævo, nullum librum publicatum, tot ac tantis paradoxis refertum, qui requirat tam magnam vim & acumen ingenii ad refellendum.

Annon in votis habendum, & à Summo Deo imprecandum, bonum Angelum cælitus demittat, ad excitandum & impellendum habile

aliquod ingenium, ut calamum ſumat, & mentem intendat, ad patrocinium ſuſcipiendum, & totam venerandam antiquitatem à tot & tantis injuriis vindicandam? Quidam novitii, Alchymiæ addicti, Helmontii opus, præſertim in practicis, adeò extollunt, ut neminem perfectum eſſe poſſe medicum, ſine illius revolutione, aſſeverare haud verecundentur; id mihi ſtupori, cum pauca chymica, ex mineralium claſſe deprompta, non ſtylo plano, ſed allegorico & verborum involucris tecto, delineata, ut penè à nemine expediri & intelligi queant, proinde inutiles diſcurſus æſtimandi, nec de illis dextrè judicandi facultas conceſſa, cum ignotum, ex quibusnam ingredientibus illa concinnata, & incertum, utrum tam miraculoſum præſtent effectum, prout ille ſpondet, ipſa praxis & experientia fidem pollicitis conciliare deberet, cum aliàs Alchymiſtæ valde ſint jactabundi, & hyperbolici in celebrandis ſuis medicamentis, ubi ad uſum ventum, ſæpius contrario & pænitendo ſucceſſu: ſi illorum promiſſa congruerent cum effectu, homines non tantum à morbis deſperatis liberare, ac immunes reddere, ſed & penè ad immortalitatem perducere liceret, annon de illius fide etiam dubitandum?

Videtur ***Helmontius*** impius, in Deum & naturam injurius, dum omnia fermè medicamenta ex vegetabilium ſorte, præſertim ex purgantium, etiam benigniorum, ordine, damnat & eliminat; Ergò à Summo rerum omnium conditore fruſtra in uſum humanum creata, in noxam potius quam ſalutem introducta? O nefandam aſſertionem! Cùm penè ſex mille anni præterierint, quod Deus Optimus Maximus, pro ſumma ſua ſapientia, omnia terræ naſcẽtia produxerit, ut ſi homo ægrotare cæperit, eorum beneficio reſtitueretur in integrum, nec ulla alia media, tam immenſa annorum intercapedine, erant in promtu, quam ex omnigenis herbis concinnata; cum vix ſeptuaginta anni paſſati, quod ciniflones Alchymiſtæ in lucem emiſſi, qui ſpretis ac neglectis vegetabilibus, omnia medicamenta ex paucis mineralibus præparare, ea miris encomiis celebrare, Galenica autem vituperare & exauthorare cæperunt. Ex illorum numero cum ſit Helmontius, magno ludibrio in Galenica invectus, Hermetica introducere conatus, illis exterminatis.

Cum vix ultra ſeptuaginta annos, quod chymica, præſertim in Germania, præparari cæpta, & ea conficiendi ratio pauciſſimis tũ erat cognita, ut pauciſſimis exin aliquid

ſubſidii

subsidii sperandum. Quin proclive est cavillari, & Galenica seu vegetabilia damnare, sed si Helmontio in pectore suo cor fidele, & generi humano benè consulendi promtum, cur non meliora & talia verbis perspicuis conficienda proponit, quæ omnibus sint saluti? Cum à condito seculo ad nostrum usque ævum, nulla alia remedia in usu, quam Galenica dicta, proh Deum immortalem! annon & olim, & nunc, ægrotantibus, omnibus præsidiis destitutis, pereundum fuisset, si Galenica præstò non fuissent, quorum adminiculo etiã hodie gravissimi morbi, per totum terrarum orbem grassantes, debellantur.

Nemo adversatur, si speculando commodiora & efficaciora remedia excogitanda, quin is conatus laudandus, & eorum usus introducendus, nec tamen omnia medicamenta Galenica, quæ infinitis fuere saluti, totaliter rejicere, studio æmulationis magis, quam rationis, scopticè tractare, in Authores magna vehementia intonare, etiam eruditissimorum virorum famã, per multa secula clarissimam, per calumnias infamare & obscurare, par ac æquum, an hæc nota sit viri boni, viris itidem bonis, candidè judicandum committo?

O Ambitio, ambitio, quam es iniqua judicatrix, & operatrix in omnes bonos, etiam præclarè meritos, dum affectas & contendis ad culmen laudis ac gloriæ ascendere, vel cum maxima aliorum injuria & calumnia! Si tibi obtigissent Dei gratia tam præclara ingenii dona, quibus præ aliis generi humano prodesse valeas, annon laudabilius, ea cum modestia propalare, non cum tam insigni vehementia intonare, & acerbissimè insectari, etiam optimè de posteritate meritos? Non omnia possumus omnes, nec omnia uno tempore simul inventa, sed successivè. Ne per alieni nominis ruinam gradũ tibi struas ad gloriam tuam; si quid laude dignũ succurrat, candidè proponas, absque bile, res cum re, ratio cum ratione concertet, censuram æquo lectori committas.

Sed calamus meus longius excurrit, quam ducere constitueram, ad prolixiores literas exarandas impulsus ex justo zelo & indignatione quadam, dum Helmontius, tam elatus & iniquus censor, in omnes priscos & Neotericos Medico-Philosophos, omnia eorum dogmata promiscuè refellens, & acerbè cum cavillis perstringens, & ipsum infantulum, etiam venustum non rarò, cum lavacro rejiciens. Sed abeant illa in-

vectiva cum suo Authore, ante triennium defuncto, ad orcum, in purgatorio, juxta ipsius fidem Catholico-Romanam expianda.

EPISTOLA IX.

Ad eundem: *Utrum bruta sint ratione prædita?*

QUod inter paradoxa Helmontiana reposueris, dum bestiis non phantasiam solùm, sed & haud obscuras discursuum notas attribuit. Etsi Autor ille in plerisque perquam absurdus mihi visus, sed hac de re illius opinio plausibilis existimanda, cum ex ordine literatorum complures reperti, idem statuentes, haud sit ingratum, animi mei cogitata propalare, & tecum communicare, ea tibi vel probanda, vel solidè refutanda committens, haud videtur de lana caprina, ingenii vires nonnihil exercere.

Cum haud levis inter Philosophos existat concertatio, utrum animalia, à nobis bruta indigitata, sint expertia rationis, ut haud expeditum quid statuendum. *Plinii* quærela est protrita, quod natura homini obtigerit tristior noverca, quam mater, cum sua sponte nihil calleat, non vesci, non ingredi, non fari, sed tantum flere. Cum bruta ab homine sint disparata sermone, & ratione, utrumq; deprehenditur in Elephantis, cum intelligant linguam indigenam, & institutio ac domitura lingua fiat, & quosdam locutos constet. Ratio innotescit ex effectis, cum omnes artes pacis & belli addiscant, facili ritu, quos ægrè homines ipsi caperent.

Illorum qualitates & dotes *Justus Lipsius* peculiari Epistola denarrat, exemplis luculentis illustrat, palàm profiteri & asseverare non dubitat, carere se ratione, si prorsus illi reperti, qui sua proboscide scribere, & quidem Græcis literis, teste Plinio, linea recta, non contorta, sunt soliti.

Cum Anima rationalis inorganica statuatur, cujus præcipua actio sit intellectio, si ea insita, & suas operationes per se exercendi facultatem obtinet, tum ultrò ac spontè ad varias linguas & artes esset proclivis: Sed multorum annorum intervallo, cum magna difficultate & laboris assiduitate, ægrè linguam vernaculam seu maternam capere, nedum aliarum artium & disciplinarum cognitionem

cognitionem comparare poteſt, cum è brutorum claſſe, ſua cuique ſpeciei peculiaris loquela, à natura ingenita, cujus medio animi paſſiones (id *Hieronymus Aquapendens* ſingulari tractatu, de loquela brutorum, prolixè & luculenter demonſtrat,) ſibi invicem articulata voce communicare ſolent. At ſolus homo μονο φων☉ in lucem editur, id comprobare libet exemplo notando *Magoris Regis Indiæ* (Keckermanno teſte in Syſtemate Phyſico) qui experiundi gratia, triginta infantulos, qualem ſermonem prolaturi à primo ſtatim partu cuidam paſtori cuſtodiendos & alendos commiſit, & quidem in loco deſerto, nbi nulla ullius voculæ audiendi facultas, ſed cum adoleviſſent, elingues ſeu muti ſunt reperti.

At ſi quis illud velut palmarium argumentum obtrudat, hominibus cognitum τὸ διότι, & ſyllogiſmo uti, bruta autem noſſe tantum τὸ ὅτι; haut ardua reſponſio, ſi regeratur, τὸ διότι illis tantum eſſe compertum, qui à prima ſtatim pueritia ſtudiis adhibiti, complurium annorum intercapedine eas artes & ſcientias immenſo labore compararunt, quarum adminiculo ſyllogizare, & cauſas rerum inveſtigare, crebris contemplationibus & repetitionibus memoriæ infixas & phantaſiæ impreſſas, & ea illi tantùm præſtare poſſunt, quibus præ cæteris obtigit perſpicacius ingenium, hoc eſt, nobilior craſis ac temperatura cerebri; Imò major pars vulgi minus callet τὸ διότι, nec ratiocinio uti novit, ſi cum Elephanto inprimis conferatur. Si quis fidem adhibere detrectat, abeat in Bavariam, Weſtphaliam, & ipſam Lappiam, & audiat ſyllogizantes & diſcurſantes plebejos. Quis abnuat, in multis beſtiis illuſtriores rationis radios deprehendi, à natura inſitos?

Multa pro brutis à nobis habita, præſertim Elephanti & Simiæ, ſi in artibus & ſcientiis informarentur, quibus cum tanta ſolertia obvenerit à natura, ſi accederet ars & inſtitutio, quis negare auſit, quin complures homines ſuperarent, eos multis poſt ſe paraſangis relinquentes? præſertim ſi manibus & lingua ad ſermocinandum habili eſſent inſtructa quibus ſi ipſi homines deſtituti, quid quæſo à beſtiis differrent, cum ratio prorſus inutilis eſſet, dum nec legere, ſcribere, & animi cogitata exprimere, & aliis communicare liceret, & ita vel ipſe rationis Magiſter Ariſtoteles olim pro bardo habitus fuiſſet.

Cum Anima rationalis ſtatuatur ſubſtantia incorporea, & per ſe ſubſiſtens, ac inorganica, ut virtute & facultate inſita contemplari, & diſcurſu uti queat, quænam erit cauſa,

quòd dum hæret in ergaſtulo corporeo, omnes artes & ſcientias, ſicut & linguas, cum maxima difficultate addiſcat, & brevi iterum oblivioni tradat, & unde tanta ingeniorum diſcrepantia? cauſa videtur conſiſtere non tam in animæ diverſitate, quæ immutabilis, quam temperaturæ varietate. Teſtimonium ferãt ii, qui in ætate juvenili & virili ſapientiſſimi, multarum rerum cognitione inſtructi, in extrema ſenecta, bis pueri evadunt, intellectu & memoria abolitis, mutato tantùm temperamento, cum animæ eſſentia ſit inalterabilis. Idem affirmant naturæ cholericæ & Melancholicæ, quæ etſi anima rationali haud differentes, tamen ob præſtantiorem craſin, cæteris intellectu & diſcurſu prævalent.

Si anima per ſe rationalis, videtur ἀδύνατον, ut mutato tantùm temperamento, homo inſipiens fieret, ut in Mania apparet. Exin haud levis conjectura, totum negotium conſiſtere in præcellentiore temperatura, ſeu ἰδιοσυγκρασία cerebri & ſpirituum animalium, qui rationis velut inſtrumenta, non tam manifeſta, quam occulta qualitate operantia.

Unicum adhuc ponderandum committo, cùm rerum omnium conditor primo homini, ex argilla ſeu gleba lutoſa formato, nec dum animato, inſpirarit ſpiraculum vitæ, & anima rationali ornavit, ſi ea omnibus ſubſequentibus, ex illo præſeminatis, à ſummo Deo quotidie infunderetur, exin robuſtius captandum argumentum, pro ſtabilienda anima rationali, ſi verò à parentibus propagata, an non magis hæſitandum, de animæ rationalis productione naturali? cùm talis incorporea ſubſtantia, intellectu prædita, à materiali & interno agente prodire nequeat. In animo meo meritò admirationem parit, quod ipſe *Ariſtoteles* luminæ naturæ eò devenerit, ut l. 2. de Generat. c. 2. ſtatuerit: ἐντελέχειαν ſeu animam ſentientem & vegetantem in ſemine ineſſe, ſed τὸν νοῦν mentem extrinſecus advenire, & ſolam eſſe divinam, ſubnexa ratione, nihil enim ejus actionem communicare cum actione corporali. Etſi enim Ariſtoteles non intellexerit creationem, ſeu ex nihilo productionem, cognovit tamen, animam rationalem fieri non poſſe, ab agente aliquo materiali, prout materiales animæ fiunt, ſed ab aliquo agente extrinſeco, hoc eſt, ipſo Deo. Cùm animæ rationalis actio principalis ſit intellectio, non indiget organo corporeo, reliquas autem omnes animas intrinſecus fieri affirmat, hoc eſt, ab agente materiali, per materiæ transmutationem ſeu generationem.

nerationem. Cùm anima rationalis ſit ſubſtantia incorporea, per ſe ſubſiſtens, intellectu prædita, & incorruptibilis, proinde à materiali & ſeminali principio prodire non poteſt, Verùm ſi obtrudatur, in brutis non eſſe rationem, ſed ea phantaſia tantùm duci, cuique animali peculiarem ſeu ſpecificam formam & temperaturam inſitam, exin tanta actionum varietas. Annon velut ſcutum obvertendum exemplum Elephantorum, qui intelligunt linguam indigenam, inſtitutio & domitura lingua fiat, & à natura dociles, eas artes pacis & belli facilè addiſcant, quas homines etiam ingenioſiores vix magno labore capere queant?

Si tam nobiles actiones tantùm procedunt à phantaſia, quis renuere auſit, homines itidem dirigi à phantaſia, cum rudes omnium rerum ex alvo materno prodeant, non fari quidem, aut linguam vernaculam efferre valentes, annon exin inferendum, Elephantos etiam rationis capaces, vel homines æquè rationis expertes, phantaſiæ ductum ſequi? proinde rationi magis videtur conſonum ſtatuere, vel homines cum Elephantis mediante phantaſia ſuas actiones edere, vel ſi anima rationali prædíti, eam ab agente extrinſeco procedere, & à Deo Optimo Maximo, conſummato jam Embryoni communicari, prout in prima factũ creatione. Si cum Ariſtotele, imò cum ipſa ſacra Scriptura, animæ humanæ rationalitas & immortalitas attribuenda, illius per traducem propagationem, ſat juſto argumento obtinere, vix conſiſtit in ratione ulla humana.

EPISTOLA X.

Exhortatio ad Galeni monumenta perluſtranda, quantopere id ſtudium Medico ſit fructuoſum?

EX ordine Medicorum mihi haud videtur magnus, cui Galenus non eſt magnus, cum omnium nationum Medici, quicquid boni in ſuis ſcriptis protulerunt, id ex illo velut fonte hauſerunt, exin ſuos rivulos derivantes. Cum ego ante annos ſexaginta tres, in Gymnaſio Patavino ſtudio Medico incumbens, audirem Profeſſores, nihil aliud crepantes, (ut *Alexander Maſſaria* palàm profiteri non dubitavit, *malle ſe*

cum

cum Galeno errare, quàm cum Neotericis rectè sentire) quàm Galenum allegantes, exin opera illius mihi comparavi, & perlustrare cœpi, à capite ad calcem istum laborem continuando, & insuper quicquid occurrit notatu dignum, excerpsi, collegi, & ut memoriæ consulerem, in compendium redegi: sanè is labor, per totum vitæ decursum, magnum mihi attulit emolumentum, dum plaustra librorum pervolutavi, & Professores de Cathedra declamitantes auscultavi, penè nihil, exceptis novis opinionibus & contentionibus, occurrit, quod apud Galenum non extaret, cum nulla Medicinæ pars in illius operibus reperiatur, quæ non sufficienter tractata.

Plaustris librorum carere facilè poterit, qui scripta Galeni sibi familiaria reddiderit, dum omnes Authores sua exin velut è magno Oceano depromant & hauriant, ut qui in Galeno non sunt versati, existiment, ab ipsorum ingenio profecta, suam hinc prodentes imperitiam, dum cuncta à Galeno sint mutuati. Quid esset ipse *Helmontius*, ni quicquid boni ex Galeni & Aristotelis monumentis primitùs depromsisset, sed post omnia corrumpens & invertens, suas exin nectens argutias, malam rependens gratiam, in illos retorsit. Aquam veritatis limpidam, ex illorum fonte haustam, suis sophismatis inquinavit, & totaliter fæculentam reddere attentavit, fretus arguto & insolenti genio.

Ego Deo Optimo Maximo tacita mente gratias egi, pro cogitationum mearum directione, ad monstrandam tam expeditam & compendiariam viam, perveniendi ad facultatem Medicam. Ne autem planè rudis ac imparatus accederem ad lectionem operum Galeni, prius perlustravi Physiologiam & Pathologiam *Iohannis Fernelii*, stylo eleganti succinctè conceptam, & *Institutiones Fuchsii*, phraseologia, verbis & dictis Galeni exaratas, ut jacto illo fundamento, postmodum Galeni scripta exactius intelligere liceret, & res ex voto successit; æmulare illud exemplum, veritatem & utilitatem deprehendes, & monitori gratias ages. Si *Institutiones D. Sennerti* conjunxeris, in quibus controversiæ & variæ Authorum opiniones propositæ & discussæ continentur, utramq; absolves paginam, ut nihil desiderari queat. Nec tibi remoram objici patiaris à Galeno-mastygis, qui ejus opera nunquam perlustrarunt, imò ne per transennam inspexerunt, præsertim Alchymiæ addicti, qui ex studio æmulationis & ambitionis, illius nomen odisse, & aliàs laudabilia taxare & reprehendere soliti, quorum mens

mens præpoſteris opinionibus eſt obfuſcata,ut dextram adhibere cenſuram nequeant. In theoricis, quoad Phyſiologica & Pathologica, quin Galeno principatus tribuendus, indubium æſtimo; Quoad curandi rationem, ipſa etiam methodus exquiſita ab illo eſt propoſita, velut amuſſis & regula, juxta quam medendi modus eſt inſtituendus; quoad theoremata, univerſalia ad ſpecialia applicando. Modus in cura procedendi eſt certus, ſed media & viæ, eò perveniendi & pertingendi, variæ occurrunt, dum Galeniſtæ per vegetabilia procedunt, Alchymiſtæ autem per Hermetica ſeu mineralia progrediuntur. Nemo inficiatur, horum remedia efficaciora in morbis propulſandis, palato gratiora, & in exigua doſi exhibenda, ſi dextrè adhibeantur, ea ratione Galenicis palmam eripiunt. Hoc tamen aſſeverare auſim, ſi cui obtigerint ægri, in aſſumendis pharmacis morigeri, non nauſeabundi & delicatuli, quin per vegetabilia æquè, præſertim à Medico prudente, in cognitione morborum, & methodo medendi probè exercitato, à graviſſimis & deſperatis affectibus liberari, & tutius in integrum reſtitui queant. Si morbi iſtorum convenienti adminiſtratione non cederent, indubium, quin & illorum opera majori ex parte fruſtranea. Quolibet ſeculo reperti præſtantes Medici, exin omnia probanda, quæ bona, obſervanda, non autem omnia vetera promiſcuè rejicienda, & nova ſubſtituenda, & cum animi vehementia ſcopticè traducenda. Illuſtris exempli loco ſit **Zacutus Luſitanus**, in ſuis obſervationibus, qui complures ægros, conclamatis morbis decumbentes, & ab aliis etiam primariis Medicis deſertos, ope vegetabilium, vulgari tantùm more præparatorum, ſalvos & incolumes reddidit, & quaſi ex orci faucibus ſubtraxit. Felix medela non conſiſtit in operoſa remediorum farragine, qualiacunque illa ſint, ſed in exquiſita morbi, & ejus cauſarum dignotione, ac prudenti pharmacorum applicatione, prout plurima obvia exempla in meis obſervationibus, idem teſtificantia.

Medici Galeniſtæ reales, non nominales, ſunt extollendi, & in precio habendi, non qui titulum Galeni gerunt, ſed qui ipſum opere imitantur, juxta ejus præceptiones praxin dextrè inſtituentes. Annon grande piaculum æſtimandum, calamum in Galenum, præclarè de tota facultate Medica & poſteritate divinis ſuis ſcriptis meritum, ſtringere & peſſundare, quem oporteret laudibus ad aſtra ſublevare? O indignam & nefandam ſortem! quin potius Me-

dicinæ Candidati ſunt invitandi & adhortandi, ad aurifodinam Galenicam accuratius perſcrutandam, animum ſcientia inſtruentes, loculum autem pecunia replentes. Qui temerè carpunt Galenum, in ejus manes ingrati & injurii cenſendi. Si qui ſtudio chymico addicti, ea ſiderum felicitate pronati, ut ad promovendam ſalutem generis humani commodiora & efficaciora remedia excogitare licitum, & illi encomio ſunt extollendi, & grates habendæ condignæ, non tamen omnes alii deſpiciendi, quibus ad illud culmen aſcendere haud contigit, quilibet ſuo modo decorus relinquendus. Ne judicium feras de re ignota, quin prius cum attentione Galeni ſcripta evolve, probè pondera, & dextrè judica, dimoto ambitionis affectu, qui mentem obfuſcat. Annon ſatius eſt, ex ipſo fonte haurire aquam limpidam, quā ex lacunis turbidis? Quod ſi huic meæ admonitioni obſecundaveris, nullus dubito, quin totus immutatus, propria conſcientia convictus, relicto Zoilo, columnam laudis & honoris ſis erecturus, meritiſſimo Galeno, cum applauſu omnium ingenuorum Medicorum.

EPISTOLA XI.

Ad filium meum M. Fridericum *Epiſtola Encomiaſtica, cum ſolamine mixta, fratris* Nathanaëlis, *artis Pæoniæ ſtudioſi, & officinæ Pharmaceuticæ Wittebergenſis proviſoris, haud pridem vita functi.*

ERat ille olim verus typus & ſingulare exemplar hominis verè patientis. Si patientia delineari, oculis ſubjici, & ſermocinari poſſet, ipſa palàm profiteretur, illius contrafacturam repræſentandam; ſæpius recolo memoria, cum animi obſtupeſcentia, tantam in illo patientiam Entis & mentis, per totius morbi periculoſiſſimi & graviſſimi decurſum (penè incredibile dictu, & vel à fide mea alienum, ni αὐτόπτης) per decem ſeptimanas durantis, nullam unquam emiſit vocem, vel doloris vel impatientiæ teſtem, nulla ſuſpiria, communi aliorum ægrorum more, animadverſa; quæ Philoſophi ſtoici de ἀπάθεια verbis & præceptis inculcant,

culcant, ille licet ἀφιλόσοφος, reipsa præstitit, & suo illos exemplo superavit. Nuper per literas mihi significatum, illum Wittebergæ febre maligna correptum, & à morte, eheu, abreptum. Indubium, quin libenter, si non avidè, ex hac miseriarum abysso demigrarit ad cælites, divina speculaturus; id vel exin patescit, cum ante triennium ipsi denunciatum, fratrem *Iohannem Stephanum*, vitam cum morte commutasse, in suo rescripto grande præferebat desiderium, ut illius loco defunctus, hujus opinor ærumnosæ vitæ, & laboriosæ suæ functionis tam satur. Fraterna morte serto laureo cinctus, jam victor evasit omnium malorum, triumphum agens in cætu beatorum; si darentur gradus beatitudinis, tum esset ille constituendus inter primos. Quis hæsitaret? indubiam fidem faciunt, ipsius pietas, probitas, vitæ integritas, & in suum GOELEM defixa spes; ob istas dotes ac virtutes, hominibus erat acceptus, dum adhuc superstes in terris, quid ni & Deo jam dilectus in cælis, qui cum sit summum bonum, non nisi optima ad se trahit, & sibi adjungit, ideoque illum maturè ex his turbis evocavit, & ad superas portas evexit, à cœli janitore referandas. Cum juxta sententiam *Senecæ*: Omnis vita supplicium, ubi semper angores, etsi non dolores, præsertim cui obtigit Natura Melancholica, (talis corporis constitutio illi obvenerat) quæ vitæ molesta & adversaria, ob metum & mæstitiam, jugiter animum percellentia, ob varia & ingrata phantasmata menti obversantia, & per sympathiam ipsum etiam corpus infestantia, istis vita est tormentum, mors autem solatium. Ab omnibus istis incommodis jam liber ac immunis, & ab omni fortunæ assultu securus, requiescit in cubiculo suo, ut ne momentaneam inter mortales moram peteret. *Marcus Aurelius Imperator*, olim Laviniæ Nobilissimæ Romanæ, propter obitũ *Claudini* Mariti, per epistolam illud solatium suggessit: *Etsi nihil hominum mors à bestiarum interitu differret, etsi nullæ essent furiæ, quæ sceleratos torquerent, nulli Dii, qui bonos remunerarentur, vel ob id amicorum mortem æquiori animo ferendum, quod ab omnibus laboribus & curis liberi; Se certò scire, si maritus defunctus, communi omnium calculo atq; suffragio, Romanorum Imperator designaretur, ipsum ne unum diem è sepulchro proditurum, ad suscipiendum Imperium, tranquillum suum statum, cum inquieto regimine neutiquam commutaturum.* O præclarum ab Ethnico argumentum, & contra mortis terriculamenta firmamentum! Si gen-

tiles luce divina privati, ratione tantùm directrice ita senserunt, multò magis nos Christiani ad cynosuram sacrarum literarum respicientes, robustiorem concipiemus spem, vitæ pacatioris, ubi ex ergastulo corporis exemti. Haud absonum, memorabilem ex Plutarcho referre historiam, *de Cleobo, & Bithone*, adolescentibus Archivis, cum eorum Mater, Sacerdos Junonis, & jam instaret momentum temporis ad sacra peragenda, nec adessent Muli, vehiculum trahere soliti, illos rhedam subiisse, & Matrem ad Fanum deduxisse, istam pietatem Matri oblectamento fuisse, ut efflagitarit à Junone, illis, quod optimum esset hominibus, largiretur, tum ipsos in somnum solutos, nunquam amplius evigilasse, Dea illorum pietatem morte, velut condigno præmio compensante; cùm mors tam preciosa in oculis paganorum, multo magis in mente Christianorum, præsertim justorum?

Fratris obitus mihi acerbior, ob tria grandia vulnera, à manu divina inflicta, dum tres adultiores frugi filii, paucorum annorum intercapedine, à Parca sublati, sed quis potest resistere Fato, suum cuique Fatum disponenti, quod inevitabile? Cum omnia mortalia, & incerta lege mortalia, cogitandum, brevi nos eò perventuros, quò illos pervenisse, jam mœremus ac lugemus, aliquanto nos intervallo præcedentes, insecuturos ex insperato. In hoc enim nati sumus, ut perderemus & periremus, ad eandem Fati metam tendentes. Cum igitur Deus illos, non mancipio dederit, sed commodatò, ad libitum repetendos nullum aliud restat medium, quàm istas orbitates æquiori animo ferre, confidentes, illos non periisse, sed per mortem januam apertam, transeundi in vitam æviternam. Etsi juvenis, & in flore ætatis decesserit, & spes concepta ad altiora emergendi, exin mors gravior, communi parentum sensu, φιλοςοργία & opinio attollunt, & exaggerant præmaturum liberorum obitum; at si quis rectam rationem in consilium adhibeat, ea suaderet, consimiles casus moderato animo tolerandos, credentes, Deum illos sustulisse, cui obstrepere nemo ausit, qui more paterno nihil agit, nisi tempestivè, nisi utiliter, nisi ex salute nostra. Verè Varro: *Eos, quos Dii diligant, adolescentes mori*; erit igitur argumentum gratiæ divinæ, Juvenes ex hac miseriarum valle maturiùs evocare, & ad se transferre; tanta bona ne illi invideamus, magno sit solatio, illum jam frui consortio Bonorum, sui similium: ita pietas & vitæ integritas spondent.

Etsi

Etsi à nobis pro arbitrio nostro revocari posset, quin spretis nostris precibus refragaretur, indubium. Esto igitur & permaneto in requie sempiterna, optime Fili, & cum jam sis in εὐλογίᾳ coram agno cœlesti, Trahe me post te!

Quin & tibi significandum duxi, fratrem perquàm honorificè sepulturæ traditum, magna Academicorum & civium frequentia, concionem funebrem habente Celebratissimo illo Theologo, *D. Paulo Röbero*, Professore & Superintendente Wittebergensi, & illius dotes ac virtutes mirè celebrante, quæ typis excusa, & transmissa.

Exin relucet, quanto in æstimio, favore, & amore habitus; amari, æstimari, & à magni nominis Theologo parentari, annon singularis felicitatis & divinæ benignitatis opus æstimandum? Cum ille, dum in vivis, devotus Numinis divini cultor, ideoque illum maturiùs ex hac calamitatum valle sublatum, ad Olympum evexit, & corporis exuvias honorifica sepultura cohonestare, insuper virtutes à præcone præcellentissimo propalare, & honestam illius memoriam relinquere etiam in terris voluerit, anima licet dudum recepta in cœlis.

EPISTOLA XII.

Contra fallacem & mendacem Uromantiam.

Discursus mea manuductione, forma Orationis conceptus, & filio meo *Iohanni Stephano*, Facultatis Medicæ studioso traditus, in Gymnasio nostro recitandus, sed ob insperatum mortis interventum, remora objecta, non minus publici juris facere, haud inconsultum duxi, ad demonstrandam illius vanitatem.

DE *Gonella*, joculatore illo famosissimo & facetissimo, literarum monumentis est traditum, quòd *Nicolao Marchioni Ferrariensi* percontanti, cujus artis plures essent ea in urbe Professores? sine mora responderit, *ecquid hæsitas, num ignoras, omnium majorem numerum Medicorum?* Id cum perabsurdum Nicolao videretur, ille autem in semel concepta perseveraret opinione, tandem altercatione ultro citroque ali-

quamdiu perdurante, ex compacto mulcta constituta, ei irroganda, qui temerarius deprehenderetur. Gonella ut suam comprobaret sententiam, hoc astu usus fuit. Quodam die festo ad limen templi primarii se sistens, collo & ore opertis linteolo, ne agnosceretur, ejulando & lamentando ad sympathiam impellebat, & ad commiserationem flectebat omnes ingredientes, rogantibus causam, prætendebat & simulabat ingentem dentium dolorem, quo exagitaretur, exin cum penè singuli, quandam velut Panaceam, ad demulcendam ὀδονταλγίαν communicarent, eorum nomina & remedia diligenter annotabat, & ita ultra trecentas personas, medicinam contra cruciatum illum suggerentes, in suam retulerat tabulam. Ea peracta fabula, ad Regiam Nicolai contendit, & prandenti se objecit personatum, immensum dolorem simulans, Princeps dolum ac fallaciã non olfaciens, cognita doloris causâ, hoc, inquit, è vestigio applica pharmacum, ad dolorem placandum præsentaneum, ilicò liberaberis à cruciatu, & Nicolaum laudabis. Exin Gonella domum rediens, catalogum confecit, in quo & medicamenta & medicastrorum nomina consignata, in ipso autem frontispicio, Nicolai velut coryphæi nomen erat obvium; Die postero, ceu liber ac immunis ab omni molestia, abjecto velamine, genuino suo vultu ac cultu se ostendit Principi, tabulam legendam tradidit, & mulctam exegit. Tum Marchio supremum inter Medicos locum se obtinere conspicatus, & alios succedentes Magnates lectitans, à cachinno sibi temperare non potuit, proin, se illo in certamine victum, ingenuè fassus, illi palmam obtulit, & pecuniam solvendam imperavit.

Eandem si quis hodie ludere Comœdiam attentaret, hac nostra in Germania, proh Deum immortalem, nullum oppidum, nullus pagus, imò nulla domus extaret, cujus incolæ rerum Medicarum se planè rudes ac imperitos esse, sibi persuaderi patiantur! Se jactant & habentur etiam pro Medicis Judæi, perfidi Christianorum Sicarii, Monachi suæ Professionis desertores, Sacrificuli periuri, Parochi πολυπράγμονες, pastores φίλαυτοι, Chymici decoctores, Juris Apostatæ, Pædagogi δοξόσοφοι, impostores circumforanei, mercatores obærati, vetulæ edentulæ, aliique innumeri logodædali, astu & phalerato sermone, inprimis simpliciore pectore dotatos, circumveniunt ac fallunt. Sed quid causæ, quòd omnium artium nobilissima, instar triobolaris scorti omnibus prostituta, ut nugatores illi majori

majori in precio ac valore, quam vir bonus, ingenio præclaro dotatus, artium liberalium cognitione inſtructus, in Medica facultate Galeno-Hippocratica probè verſatus, & moribus egregiis excultus? Duas opinor primarias, & populi ruditatem ac imperitiam, qui ob ἀῤῥωςίαν τῆς διανοίας, judicii imbecillitatem, tales pro Medicis æſtimat ac reveretur, qui temerario auſu Medici perſonam præferre & jactitare ſoliti, & uromantiam, frivola ex putido lotio morborum vaticinia: contra ſordidos iſtos uromantes,& hircum olentes Medicaſtros, in præſentia calamum ſtringere,& fraudulentiam patefacere conſtitui.

Cum inter alios abuſus, qui in familiam Medicam irrepſerunt, haud poſtremus ſit uromantia, dum complures illiberales Medicaſtri, contra ſuam ſcientiam & conſcientiam, ex ſolius urinæ contemplatione, ob triobolaris lucri ſpem, nullis aliis ponderatis circumſtantiis, omniũ morborum eſſentias, eorumque cauſas & eventus, ſe cognoſcere ac deprehendere poſſe, ſimulant & jactitant, haud ſecus ac anus fatidicæ ex criſtallo hariolari ſolent: attamen totum eorum artificium, meris conſtat amphibologiis, phraſibus phaleratis, argutis figmentis, quibus ſimpliciores inprimis circumveniunt ac fallunt; Eò res iſta devenit, ut jam vulgi opinione & ſupercilio ſolus pro Medico ferè habeatur, qui in hac ariolandi argutia fortunatior, pauciora profert mendacia. Adverſus iſtos uromantas inſurgere, & arma expedire literaria, eſt animus, eorum nænias & nugas palàm recenſendo & refellendo, ὀφθαλμοφανερῶς oſtendendo, quàm frivola ac nugatoria, quàm exitioſa ac damnoſa, quàm fallax ac mendax ſit uromantia.

Ampliſſimus & Prudentiſſimus *Senatus Reipubl. Norimbergenſis*, in Præfatione diſpenſatorii Pharmaceutici, ipſius mandato in lucem editi, Medicis ſuæ Jurisdictioni ſubjectis ſeverè injungit ac præcipit, ne ex ſolius fallacis lotii inſpectione, quidpiam de morbi genere, ejusque cauſis pronuncient, nec ullum communicent conſilium, ni prius variis ponderatis circumſtantiis, quas expiſcari & percontari debeant ex illis, qui urinam contemplandam offerunt, ne fallant & fallantur, cum ægrorũ haud levi damno ac periculo.

Salutare quidem & prudens illud monitum, ad omnes totius orbis Medicos ablegandum, & prout in votis, obſervandum; Sed qui iſtud decretum in oculis ferunt, hac noſtra in urbe (ut alia loca ſilentio prætercam, qui tam candido pectore

dotati,

dotati, & conſcientioſi, ut loco piaculi ducant, quempiam inani dicacitate circumvenire & decipere, ii (proh dolor!) negliguntur, nulla obtingit praxis, in ſiniſtram incidunt ſuſpicionem, quaſi rerum Medicarum rudes: tam fatua ſunt hominum judicia, ne dicam iniqua! Ut autem rem ipſam aggrediar, & ex mea pharetra depromam tela, in uromantas evibranda ac detorquenda, demonſtrabo luculenter, ac in apricum proferam, nihil certi ex ſolius urinæ inſpectione, de ullo interiore & exteriore membro, præter naturam diſpoſito, & loco affecto, tam in virili quàm muliebri ſexu, cognoſci, nec morborum ullam ſpecialem διάγνωσιν haberi poſſe indubiam.

Cum urina nihil aliud ſit, quam colatura maſſæ ſanguineæ, ſerum ſeu aquoſa ſuperfluitas, à cibo liquidiore & potu collecta, cum ſit ὄχημα τῆς τροφῆς, vehiculum nutrimenti, ad ἀνάδοσιν ſeu deductionem ſanguinis neceſſaria, qui alioqui ob craſſitiem per anguſtas venas tranſire, & commeare non poſſet, ſeroſitas illa, ubi ſuum finem à Natura deſtinatum eſt aſſecuta, tum Renes eam attractam per venas emulgentes, poſtmodum per ureteres deponunt in veſicam. Proin excretum hoc aqueum, ſui quidem fontis ſeu ſcaturiginis, locorumque, per quæ deceſſit, *videlicet*, quæ in venoſo genere, Jecore, Renibus & veſica continentur, ſignificationem aliquam prodit, licet hoc ipſum non rarò ambiguè, fraudulenter & inconſtanter. Etenim ſi urina offeratur ignea, num ilicò pronunciares, ægrum inflammatione tentari? annon in cordis diaphragmatis, membranæ intercoſtalis inflam̃atione, talis urina conſpicua? Si urina alba, tenuis, aquoſa, ſpectãda obveniat, num è veſtigio ægrum hydrope infeſtari divinares? cum ſæpius haud diſpares urinæ appareant, in Apoplexia, paralyſi, imò quod magis mirandum, in ipſa phrenitide & inflammatione cerebri membranarum, rapto bilioſo ſanguine ſurſum? Si cum lotio materia purulenta excernatur, quanã conjectura præſagires, ubi locorum exulceratio & abſceſſus conſiſteret? cum purulenta recrementa prodeãt cum urina mixta, in plevrithide, Epatis apoſtemate, exulceratione Renum & Veſicæ.

Notanda albo calculo *Hiſtoria Iacobi Hellerii*, in Com̃entar. Aphoriſ. Hippocr. de Muliere, quæ per quatuor menſes pus eminxerat, interdum, ob puris acrimoniam, ſanguinem mixtum. Medici decepti, exiſtimantes, materiam illam proficiſci ab exulceratione renum, quod ægra circa lumbos per intervalla,

haud

haud levem perciperet dolorem, ex-in omnem medendi rationem cò direxerunt, quomodo renes ab illa molestia liberari queant. Muliere illa defuncta, & cadavere aperto, cum morbi latibulum investigaretur, renes & vesica illæsi deprehensi, at in corde duo calculi & complures abscessus observati, quorum purulentam materiam, dum natura expurgare conata, per vias urinales in transitu dolorem renibus infligebat, Medicis imponens, quasi nephritide exagitaretur. Si tam ambiguum & incertum augurium, de istarum partium affectibus, per quas urina transit, quid censendum de aliorum membrorum pathematis, quo lotium non pertingit? Accedit, quod sæpius causa mortifica, in interioribus visceribus impacta, hærens delitescit, nec ullam sui notam in urina prodit, quam multi nephreticis doloribus excarnificati, demum defuncti, cadaveribus resectis, in ipsa renum substantia ingentes calculi reperti, cum antea per totum morbi decursum, ne quidem arenulæ excretæ deprehensæ. Complures scirrho Epatis & Lienis gravantur, non paucis ulcera & abscessus, scirrhi, aliaque mala in Mesenterio recondita, quorum ne minima conjectura ex urina capienda, quæ demum in demortuis per anatomiam innotuerunt.

Non rarò contingit, ut aliquot haud triviales Medici convocati, præsentes ad deliberandum ac consultandum, dum ægrum coràm intueri, & varias indagare circumstantias licet, quarum medio ad cognitionem morbi pervenire, ejusq; causas investigare valeant, graviter hallucinantes, è diametro contrarias ac repugnãtes foveant opiniones; quid eventurum putas, si ex solius matulæ inspectione judicandum foret? si periculum faceres, & unius ægri urinam diversis Medicis contemplandam & censendam traderes, penè innumeras ἀντιλογίας tuis auribus perciperes, & planè obstupesceres, & ipso facto deprehenderes uromantum vanitatem?

Gravis agitatur controversia, *num ex lotio mulieres gravidas deprehendere liceat?* Negativa nititur experientia; varias proponunt varii urinarum colores, varia sedimenta. Multi tradunt à primo mense usque ad sextum apparere citrinas, ad albedinem declinantes, claras, in superficie habentes nebulam, in medio verò ejus hypostasin, ad modum carminati coli. In medio impraegnationis tempore, mense sexto & septimo, urinas similes esse aquis, in quibus pedes vitulorum non excoriati sint cocti; partui vicinarum describuntur, ex rubedine spissiore,

quæ si moveantur, facilè conturbetur.

Alii ad flocculos confugiunt; alii tradunt, urinis innatare tenui farinæ, vel amylo similia, quæ in quiete deponunt sedimentum, instar carptæ tenuiter lanæ, reliquam jam turbidam existere, aliquantum nitescentem, aut livescentem. Cum igitur tam variæ ac multiplices sint urinæ, colore, substantia, & sedimentis plurimum differentes, & pro diversitate temporum imprægnationis, discrepantes; qua igitur fronte, ex unica allata urina, ilicò imprægnationem divinare auderes? Quid si consimiles urinæ etiam in viris (sicut fide digni authores referunt) conspicuæ, num illos imprægnatos asseverares, & te ludibrio exponeres? Sanè *Bernhardus Paternus*, Pisanus Professor octogenarius tradit, eos maximè decipi, qui istis præsagiis dediti, nec se in ulla gravida tales unquam urinas, quales Avicennas describit, per totam suam vitam observasse, imò in aliis compluribus hominibus se illos conspexisse, asserit. Mira & rara exempla, in testimonium adducta, quam ardua & dubia sit διάγνωσις gravidarum, ex solius lotii inspectione, reperienda in lib. 4. mearum observat. Epist. 21. ut ea hic repetere supervacuum. Addo & sequentia ponderanda, si tibi quatuor personarum, uno die consimili morbi genere laborantium, quatuor distinctæ ac prorsus dissimiles aquæ spectandæ offerrentur, exemplo hydropicorum, quorum alius redderet urinam subflavam, alius rufam, tertius albidam, quartus lividam, indubiè protinus tu de planè diversis affectibus judicium ferres? E converso, si plures urinæ, prorsus similes, in morbis omninò contrariis ostenderentur, exemplo urinæ aquosæ candidæ, qualis in hydrope, lithiasi, in febre quartana, imò ipsa phrenitide, humore bilioso in cerebrum rapto excernitur, an tum morbos consimiles prædiceres, sed longissimè à janua veritatis aberrares & alios falleres?

Quin & dispiciendum, utrum in venosi generis affectionibus, ex urina quidpiam solidi arguendum? Si experientiam ducem sequi voluerimus, ipsa edocebit, in febribus præsertim inconstantibus, fallacia exin auguria. Annon in his, vel uno die quatuor distinctæ & dissimiles omninò urinæ minguntur? qua igitur ratione fretus, ex unius inspectione, febricitantis constitutionem cognoscere attentares? Ecquis amabo in morbis acutis, qui propemodum omnes febrem continuam comitem, aut sociam habent, soli lotio confideret? Cum in febribus

malignis,

malignis, ipsa etiam peste correpti, urinas reddant sanorum urinis haud dispares, & hi de vita magis periclitantur, quæ non rarò Medicos seducunt & fallunt, exin conjicientes, ægrum natura victrice omne periculum evasisse. Prout contigit *Philippo Melanchthoni*, Hemetritæo laboranti, ut excreta urina sani hominis simili, cum existimaretur in salvo, septimo paroxismo sit defunctus.

Accedit id, quod de omnibus urinis in universum est observandũ, quód præternaturales ritè examinari nequeant, nisi cujusq; urina, dum erat in sanitatis statu, Medico sit cognita, ut constet, quantum à naturali tramite recesserit? At quis reperitur, dum bona fruitur valetudine, ut lotium suum Medico deferendum curet, exin nullo modo resciscet, quantus ægri à naturali statu sit recessus?

Temporis insuper morborum, inprimis febrium, certæ ac definitæ partes constituuntur â Medicis, principium, augmentum, status & declinatio. Quis autem tam bardus, qui non animadvertat, aliam esse dispositionem humorum & partium corporis, in singulis illis temporibus, proin urinam prorsus diversam excerni, quoad colorem, substantiam & contenta, est necessum. Qua igitur audacia & temeritate, ex unius lotii intuitu, totius morbi naturam sibi compertã esse jactitabit?

Tria autem in ipsa urina occurrunt spectanda, & observanda, substantia, color, & contenta. *Quoad substantiam*, ea vel est tenuis, vel crassa: tenuis micta vel talis manet, vel turbatur. Ita & crassæ urinæ duplex est differentia, vel enim talis micta durat, vel post attenuatur. Urina tenuis sic manens, etsi indicet extremam cruditatem & concoctricis facultatis imbecillitatem, unde morbi contumaciam, in chronicis, in acutis verò magnum periculum præsagire licet; at in specie, quo morbi genere æger laboret, scitu impossibile, & crassa & tenuis, salutem vel mortem, si in principio, vel statu, vel declinatione talis reddatur, & ni Medicus præsens, ut possit ponderare requisita, circumstantias, ex solius lotii intuitu, certi quidpiam deprehendere, ἀδύνατον.

Quoad colores, catholicum hoc esse, & universaliter verum putatur, albam urinam frigiditatis, rubram caliditatis non naturalis notam; at graviter hallucinantur, & omnium ludibrio se exponunt, qui hac via incedunt: si urina flava aut rubra appareat, ilicò febres aut inflammationes prædicunt: Cum tamen æger ab illis sit immunis; si tenuis & alba conspicua, hydropisin adesse pronunciant,

nunciant, cum non rarò, bilioſo humore ſurſum delato ad caput, talis ſe oſtentet in phrenitide & inflammatione membranarum cerebri.

Accedit, quod multoties urinæ referunt colorem aſſumtorum, quæ judicium impediunt, ut crocus, Rhabarbarum, tingunt colore flavo: Erythrodanum rubro: ſemen liguſtri colore nigro: *Scheüvemannus* refert, ſibi notum ſycophantam, qui ſemina liguſtri ſuis Medicamentis admiſcere ſolitus, Nobili ægro, ex levi catarrho decumbenti, perſuadens morbum lethalem, quem nec ipſe Hippocrates curare poſſet, proprio ipſius teſtimonio convincens, in prænotione urinæ fœtidæ aquoſæ & nigræ omnes lethales. Pro majori confirmatione adduxit exemplum Sileni, qui nigras cum ſubſidentia nigra excernens, die undecimo ſit mortuus, quem ipſe Hippocrates reſtituere nequiverit; Nobilis authoritate Hippocratis territus, mortem ſibi imminere credidit, magnis precibus ſollicitabat, ut omnem adhiberet diligentiam in medicando, ſi reſtitueret, mille aureos coronatos pollicitus, quos etiam pro hac impoſtura erogavit. In ictericia nigra urinæ paſleæ viſuntur, at tales etiam in inflammatione Epatis conſpiciuntur: ſani etiam, nedum ægri, vel uno die, quoties mingunt, aliam, atq; diſſimilem urinam reddunt, ut in febricitantibus obſervare licet. Urina nigra lethalis à multis diffamatur, ſed obſervationibus Medicorum conſtat, eam non rarò ſalutis nunciam, præſertim ſi in diebus criticis, Natura victrice, in morbis ab humore melancholico originem habentibus, prodeat, in lienoſis & febris quartanæ declinatione, in deliriis melancholicis, in fœminarum menſtruorum ſuppreſſione.

Refertur *de puero quodam ſcholaſtico*, qui nullo morbo luculento decumbens, urinam minxerit tam nigram, ut qui conſpicati, merum eſſe atramentum putaverint.

Viridis etiam color non ſemper eſt index alicujus morbi, ut qui etiam in ſanis aliquando prodeat. *Gal. 2. de ratione victus*, in morbis acutis, Cholericos inediam ſuſtinentes, virides ſæpe& igneas urinas emittere aſſerit. Fuit Medicus, qui cum ejusdem coloris aſſumtis alimentis, interdum viridem planè urinam excerneret, illam alteri cuidam Medico examinandam miſerat, eique ob ignorantiam cauſæ, lethalem urinam pronuncianti renunciari juſſerat, ſibi haud inſuetam eſſe ejusmodi excretionem, conſimile quid comedenti, cum adhortatione, ne ob ſolum colorem temerè quidpiam ex urinis effutiret.

Etſi

Etsi in genere, quinam humores vitiosi redundent, elucescat, tamen in specie, quo in loco seu parte interiore hæreant, ac subsistant, quale morbi genus concitent, planè est ignotum: si biliosi exorbitent humores, possunt exin causari variæ febres, continuæ & intermittentes, plevrithis, icteritia. Quis tam emunctæ naris, cui tam perspicaces oculi, qui exin specificum morbi genus, & quæ pars affecta, cernere queat? si pituitosi excedant humores, quorum argumenta in lotio obvia, exin possunt concitari variæ febres, quotidianæ, continuæ, & intermittentes, catarrhi, apoplexia, paralysis, & effectus veternosi: si melancholici humores exuberent, exin emergunt febres variæ, continuæ & intermittentes, quartanæ & erraticæ, obstructiones lienis, icteritia nigra, & affectus melancholici diversi, calculosa renum dispositio; quis unquam tam argutus repertus, qui ex solius urinæ contemplatione, ista in specie rimari & indicare potuerit, ni astite & inspirante aliquo genio?

Accedit, quod infinities vitiosi humores in interioribus corporis recessibus impacti hærent, ut in lotio nihil commixtum excernatur, exin ἀδύνατον, ne in genere quidem certi quidpiam hariolari, quales superflui humores, nedum, quænam sit pars affecta, & qualis ipse affectus?

Quoad contenta, ea multiplicia cum urina prodire solent; at ne in immensum mea crescat oratio, solius urinæ pinguis & oleosæ mentionem faciam. Exin febrium hecticarum & phtisis præsentiam indicare posse, cum significet colliquationem & consumtionem corporis. E contrario *Gal. 3. de præsag. ex puls.* expresse affirmet, urinas hecticorum nihil certi significare; siquidem adstipulatur experientia, multoties contingere, ut nonnulli cholerici, & quibus obtigerunt renes calidiores, & qui assumserunt pinguia fercula, pinguiorem reddant urinam.

Accedit, quod complures phthisici defuncti, etsi planè contabuissent, ut præter ossa & cutim nihil restaret, nihil unquam pinguedinis in lotio deprehensum. Ex hisce, quæ hactenus in medium allata, luce meridiana clarius patescit, quàm ambigua & fallacia sint, ex solius urinæ inspectione depromta vaticinia.

Admodum salsam ac venustam in Uromantes detorquendam historiam, *Iohannes Echtius* refert: is enim cum thermas, in pago Porceto, haud procul Aquisgrano distante, scaturientes lustrasset, in Myropolii vestibulo, sculptile morionis idolum conspexit, discolore amictum veste, rubeo capitis galero ornatum, qui dextra manu protensa, adductis labris subridens (id fatuis familiare)

matulam vitream prætereuntibus oſtentare videbatur, rei inſolentia adductus, officinam Echtius ingreſſus, à Judæo Pharmacopæo, quidnam ludicrum illud ſimulachrum portenderet, eſt ſciſcitatus, id dedit reſponſi: ſe à Patruo, avoque Medicis accepiſſe, eos Medicos, qui ex ſolo fallacis urinæ judicio diſcernere morbi naturam & locum affectum conarentur, huic morioni eſſe ſimillimos, qui temerariam illorum de morbis, eorumque cauſis, ex lotio cenſuram irrideret. Fortaſſis haud deerunt, qui tacitè ſecum mente cogitabunt, aut palàm etiam dictitabunt, experiantiam atteſtari, reperiri non paucos Medicos, qui visâ tantummodo urinâ, non prævia alia inquiſitione, aut informatione, ilicò ad amuſſim referant & denarrent, de morbi genere, & cunctis ſymptomatis, quibus æger infeſtetur, ac ſi lyncei obtigiſſent oculi, viſu penetrantes ad interiora, imò quaſi ipſimet conſiderent in viſceribus internis, & coram cernerent locum affectum, morbi genus, cum ejus cauſis ibidem ſtabulantibus.

Rogo vos Auditores, per amorem veritatis, ne gravemini coronidis loco audire, meum verum, & ſine fuco reſponſum; Si quid veri de morbi genere & cauſis abſtruſioribus protulerunt, id vel revelante ſpiritu aliquo familiari cognoverunt, prout reperti Uromantes, criſtallomantiam exercentes, vel ex accidenti & fortuitò divinarunt, vel ex relatione ejus, qui lotium ſpectandum obtulit, deprehenderunt. Mira enim uti conſueverunt aſtutia, circumveniendo & fallendo ſimpliciores, dum nonnullas percontantur circumſtantias, illis fucum non animadvertentibus, eliciunt quoſdam ſermones, quorum adminiculo ad cognitionem morbi pertingere valeant; id ubi aſſecuti, dehinc velut ex tripode, cum affectata gravitate, de morbi conditione & ſymptomatis declamitare ſolent.

Addo, quod urinam deferentes, plerumque ſint ancillæ, aniculæ, & conſimilis farinæ ſimpliciores oviculæ, quæ ob intellectus imbecillitatem, quicquid illis in buccam venit, effutire ſolent, pro veris arripiunt fallacias, non animadvertentes. Siquidem caſu ad veritatis metam collimarint, eos ceu vates ubivis locorum celebrare, & ad cœlum usq; evehere laudibus conſueverunt, ſi verò aberrârint plurimùm, falſaque protulerint in medium, ea ceu indigna obſervatione, oblivioni tradentes, ſilentio prætereunt. Prout olim de Oraculis Delphicis dici ſolitum, quæ vera, deprædicari, quæ autem falſa, eorum neminem recordari.

Mirum

Mirum haud videri debet, quod crebrò & multum loquentibus, interdum nonnihil veri excidat, cum non rarò, qui oculis sint orbati, ex frequenti ejaculatione scopum attingant præfixum. Cum ista *l.4. mearum Observ. Epist. 22.* miris & raris sint illustrata exemplis, haud opus ea hic reiterare, ubi velut in speculo pellucido intueri & deprehendere licet, uromantum vanitatem, miras technas & fallacias, quibus rudiores circumveniunt & decipiunt; quò quis in isto genere dicacior, eò fallaciorem certò credas.

Illud inprimis est observandum, quò quis indoctior, & minus instructus liberalium artiũ adminiculis, ad istas nugas, dolos & fallacias promtior & expeditior. Obtigit enim talibus, quorum ingenia ad literas hebetiora, natura versatilis, ad vaniloquentiam & fraudulentiam prona, ex adverso, viri verè eruditi animus, ab istis næniis perquam est alienus: Siquidem cum vir doctus sit etiam vir bonus, & conscientiosus, cui virtus & veritas magis curæ ac cordi, proin loco piaculi ducit, mentiri, & simpliciores inani dicacitate circumvenire ac decipere. Verùm qui candidum & sincerum in pectore suo circumfert animum, nec se assuefacit ad istam vaniloquentiam, ad auram popularem captandam, is velut rerum Medicarum imperitus negligitur, etsi scientia & felicitate praxeos aliis multum præferendus. *Seneca* quidem ait: Ægrum desiderare Medicum, non eloquentem, sed sanantem; & *Petrarcha* in Epistola ad Clementem VI. Pontificem Romanum, ex morbo decumbentem: se non dubitare, quin lectum suum habeat Medicis obsessum, at suadere, ut unum ex multis eligat, non tam eloquio pollentem, quam fide & scientia conspicuum, eloquentem velut insidiatorem devitandum. Id pronunciatum inprimis in uromantes potest detorqueri, ut qui incidit in garrulum Medicum, is sibi certò persuadeat, totis viribus ipsum eò intentum, quibus verborum lenociniis, quibus phaleris & pigmentis, quibus strophis & figmentis ipsum fallere, pecunia emungere, sibi authoritatem conciliare, & famam parare queat.

Silentio prætereo, cum urinæ ab ancillis & mulierculis insulsis ad Medicum deferantur, quæ interrogatæ de ægri conditione ac statu, non raro ne Gry respondere possunt, & ex hebetudine mentis sæpius contraria, quam à Medico dicta aut consulta referunt, & ita ejus effata non intelligentes, aut falsa narrantes, multoties in causa & culpa sunt, ut curatio sinistrè cedat, & ita Medicus

de-

de fama & existimatione, æger autem de salute & vita periclitetur, & quæ mala præcaveri potuissent, si Medico præsenti cuncta ad rationis suæ dioptram accommodare & curare licuisset. Siquidem cum neque essentiam, neque causas morborum & locum affectum, neque virium robur, aut imbecillitatem, ex fallaci urina indagare & cognoscere, propterea ægros nulla ratione duce & Methodo curare liceat, sed cuncta temeritati fortunæ committere oporteat, fieri aliter non potest, quin frequenter admodum perniciosa communicet consilia; Multi ***Democriti*** vix sufficerent ad deridendam istorum hominum vanitatem, & ***Heracliti*** non suppeterent, ad deflenda ac deploranda mala, quæ inde consequuntur. Quis non detestetur tam mendacem Uromantum garrulitatem, & simplicem admiretur credulitatem? Magistratus esset officium tam noxiam Uromantiam abrogare penitus, vel ad minus, dextrum & prudens illud ***Reipubl. Norimbergensis decretum*** superiùs à me allegatum, omnibus Medicis observandum inculcare. Sed nemo nisi Numine afflatus, tam pravam consuetudinem altas modò agentem radices, hisce in locis extirparit, cum non plebei tantum, sed & plerique eorum, qui ad Reipubl. gubernacula sedent, in ea hæreant opinione, nescio quid secreti ex lotii inspectione divinari posse, ceu morbi omnes in eo conspiciantur, quasi ab aliquo Apelle adumbrati. Cum igitur hactenus, haud levibus rationum momentis deductum, & ὀφθαλμοφανερῶς ostensum, quam dubia & incerta, quã exitiosa & periculosa sit uromantia, proin omnes candidè admonitos velim, qui suæ saluti consultum cupiunt, & tutò ac rationabiliter curari exoptant, ut quam primum ægrotare cœperint, Medicos in ædes suas accersant, quò non solius urinæ per se fallacis inspectione, sed aliis etiam signis pathognomonicis, ipsius morbi naturam & causas investigare, cõplexionem & temperaturam indagare, & pulsu vitales facultates explorare, & juxta rationalem Methodum legitimam instituere medicationem valeant, nec se dubiæ Fortunæ aleæ concredat, id quod inserviet ad Medicorum majorem existimationem conciliandam, & ad ægrorũ salutem procurandam plurimum conferet.

EPISTOLA

EPISTOLA XIII.

Ad quendam Juris Candidatum, *contra falsam insimulationem Medicorum, quasi ipsis temperatura humana incognita?*

CUm nuper in Musæo tuo mihi ostendisses *Tilemanni* historicũ Tractatum, ambo haud levi admiratione capti, hæsitabamus, quod inter cætera retulit, ***Medicos, aliorum temperamenta inquirendo, sua ignorare***, eamque inscitiæ maculam etiam Galeno aspergere non sit verecundatus, isthac conjectura fretus, dum libro de cognoscendis & curandis animi morbis, literis tradiderit: ***Ego cujusmodi sim, non facilè dixerim, nam seipsum cognoscere, est difficile:*** exin intermittere non potui, nec ingratum fore duxi, si Galenum, inprimis autem ipsam veritatem, ab injuria vendicarem, palàm demonstrando, Tilemannum Galeni mentem perperam intellexisse; ad id præstandum eò magis sum impulsus, quod animadverterim, exin sinistram de Medicis in animo tuo concitatam opinionem, quasi tam sint rerum naturalium rudes, ut ejus subjecti, circa quod curandum quotidie versantur, naturam non habeant exploratam. Siquidem res ita comparata, vix ulla felix ac prospera, & ex ratione procedens speranda medela, sed temeraria potius ac fortuita contingeret curatio, id quod cum non levi ægrorum exitio foret conjunctum, nec in magno æstimio Medici habendi, si ad hunc modum conditionati.

Sed jam mihi incumbit probandi ratio, Medicos falsò à Tilemanno ejus imperitiæ nomine insimulari, quin ipse potius culpandus occurrat, dum illorum scripta in alienum sensum detorquendo, haud rectè intellexit, & aliis postmodum aberrandi occasionem suppeditavit, in devia præcipitando.

Ex ipsius libri Galenici inscriptione (scilicet *de cognoscendis & curandis animi morbis*) luce meridiana clarius patescit, ibi nullo modo tradi viam & rationem, corporis cõstitutionem & temperaturam investigandi, quin potius animi inquinamenta explorandi methodum monstrari, & præcepta inculcari, quorum beneficio animus vitiis pollutus emundari, & exin ad regiam virtutum semitam revocari queat, prout etiã ex totius libelli contextu, cuivis vel

 tantillo

tantillo cerebro dotato innotescit. Quid enim est morbus animi? nihil certè aliud, quàm δυσκρασία seu intemperies mentis, dum relictis virtutibus, ad vitia sectanda deflectit, dum neglecta Ratione ceu Domina, sese magis cum ancillis velut brutis affectibus commercium habens oblectat. At illa vitia in seipso cognoscere, quàm in aliis observare, multò difficilius videtur. Magna sapientia, & initium felicitatis, seipsum nosse; Exin in vestibulo Delphici Templi consignatum γνῶθι σεαυτὸν, cognosce teipsum, quod aliàs sit difficile. Etenim propter innatam φιλαυτίαν, animum circumferimus obfuscatum, ut quales revera simus, cernere nequeamus. In aliorum quidem erratis annotandis Lyncei sumus, ast in visendis nostris, vespertilionum instar media in luce cæcutimus. Nostra vitia manticæ, in tergo hærenti, inclusa, in nostros non incurrunt oculos, aliena autem de pectore suspensa, in perpetuo observantur contuitu.

Seneca de Harpasta sua fatua refert, quod subitò desierit videre, nec animadvertens se occæcatam, pædagogum rogarit, ut aliò secum migraret, domum tenebricosam factã; sicut illa cæcitatem corporalem in seipsa non deprehendit: idem nobis omnibus delirantibus obvenit, ut laborantes cæcitate Mentis, nostra vitia comperta non habaamus, adeò sumus lumine cassi, ut non modò nostra peccata occultiora & latentia negligamus, sed & crimina ac scelera commissa haud respiciamus. *Augustus Imperator*, licet insignis scortator, id delictum in aliis adeò odisse solebat, ut Ovidium, propter libros de amore divulgatos, in exilium relegasse perhibeatur. Omnes Crassi virtutes sola avaritia obscurabat, non minus tamen consimili vitio laborantes valde erat detestatus. Exin inclarescit, verè Galenum scripsisse, *seipsum cognoscere esse difficile*, hoc est, nostra vitia, quibus contaminati sumus, habere perspecta; nec ullà ratione ad corporis temperaturam dictum illud est detorquendũ, quasi hujus cõstitutio & natura Medicis esset incognita, cùm ipse Galenus, non modò tres libros, de temperamentis indagandis, posteritat reliquerit, in quibus totius corporis crasin in genere explorare docet, sed & ejus elegans extet Tractatus, *Ars parva*, inscriptus, in quo omnium in toto corpore delitescentium partiũ temperiem, per certa signa investigare proponit. Hæc cum in rei veritate ita sese habeant, inde perspicuum evadit, haud levi injuria Medicos à Tilemanno affectos, dum eos incusat, falsò pro tantis ignoran-

tiæ fratribus proclamando, & publicando, quasi complexio humana illos lateat, ipse potius redarguendus, quod haud probè intellexerit, nesciens distinguere terminos Medicos, temperaturam corporis à δυσκρασίᾳ Mentis.

EPISTOLA XIV.

Ad Philiatrum, *de Apoplectico Paralytico, restituto.*

QUidam nobilis præfectus, sexaginta annorum, naturæ Melancholicæ, facie livida, barba nigra, totius corporis habitu fusco, cum aliquot vicibus vertigine per intervalla exagitatus, tandem apoplexia sat valida est correptus, terminata in paralysin totius dextri lateris, brachio cum pede respondente, sensu & motu privatis, accedente stupore cerebri, cum mentis & memoriæ læsione; Cum essem Ulmâ ad ægrum evocatus, in conspectum admissus, ipsum offendi haud vacantem periculo. Ad reficiendum obtuli unum vel alterum cochlear sequentis *aquæ Antapoplecticæ.* ℞. aq. Theriacal. Cephal. unciam unam semis. Langii antepilept. drachmas decem, spir. lilior. conval. unciam semis. confect. Alkerm. drachmam unam, Sacch. d. candi. drachmas duas. *Aqua cordialis* expetita, ordinata & laudata, ℞. aq. borag. bugl. ana unciã unã semis. ceras. nigr. lilior. conval. ana drachmas decẽ, cinnam. rosar. ana drachmas sex. Marg. præp. scrupulum unum. bezoar. orient. grana sex, Manus Christi drachm. sex. M.

Naribus applicetur sequens *balsamũ.* ℞. bals. Rut. Succin. ana drach. semis. M. De Bals. Apopl. vertex inunctus. *Nodulus* exiguus concinnatus, ex Sindon. alba, cum nuce musc. gal. minor. & cinnam. crassè incisis seq. infusa aqua & sæpius naribus admotus, ℞. aq. odorif. unciam sem. vitæ Fuchsii drachm. duas. cinnamom. drachm. unam. M.

Ad corpus evacuandum & depurandum à spurcitie phlegmaticorum & serosorum humorum, πάθος illud invehentium, sequenti matutina obtuli drachmam unam *pulv purgantis*, ante annos complures ipsi ordinati, cum haustu hydromeli dissol. (cujus descriptio reperitur in meis observat. p. 127.) & sanè sat larga operatio secuta, cum notabili allevatione. Aliquot dierum intervallo

post, ordinatæ *pilulæ*, ℞. Extr. pil. cochl. Aur. a. scrup. unum. Extr. Panchymag. Crollii scrup. sem. cum aq. beton. fiant pil. XXI.

Corpore probè emundato, proposui *hydroticum*, ex semine Milii. (Syrupum S. Ambrosii dictum) excorticati, & obsequium præstitum felicissimo successu, per decem matutinas continuandum. ℞. Sem. Milii excort. unc. duas, decoq. in aqua. unc. octo ad crepaturam, decolat. ℞. unc. quat. vini gener. unc. duas, per X. matutinas assumsit, per bihorium in lecto sudavit, & motum in brachio & pede recuperavit, ut sat commodè incedere, cibum ipse capere, & scribere etiam potuerit. Quam insignem vim hydroticā habeat ille Syrupus, ex *Epistolis Medicinalibus Scholzianis* constat, proposito exemplo cujusdam Abbatis, qui in affectu nervorum dolorifico, exteriora membra occupante, decocto sarsæ parillæ per viginti quinque dies usus, absque ullo sudoris elicio, sed oblato illo Syrupo, tam copiosus sudor eruperit, ut convaluerit: exin etiam plurimum præstat, in tumoribus exteriorum partium, ipsa anasarca resolvendis: habet facultatem ciendi sudorem, benignam, citra ullam offensionem virium, non igneam, prout decocta hydrotica, ex lignis præparata.

Quantoperè hydrotica, dextrè adhibita, in affectibus nervorum cōferant, illustre nuper specimen edidit, nostra in urbe, quidam Empiricus, qui beneficio Laconici, forma grabati parati, subdito vasculo æneo, decocto herbarum repleto, candentibus silicibus in eo extinctis, largo sudore provocato, quandam virginem patritiam, paralysi chronica detentam, duabus vicibus thermis ferinis usurpatis, irrito effectu, ut de salutè planè desperatum, sed mediante illo laconico ita est restituta, ut sine sustentaculis incedere potuerit.

Multi Medici præscribere soliti *aquas arthriticas*, pro inungendis partibus resolutis, raro cum optato successu, & cura longius protracta: exin serosiores ac tenuiores tantùm humores, in nervoso genere hærentes, aliquantum resolvuntur, sed crassiores partes magis indurescunt. Si conjuncta materia mucilaginosa, magis afficiunt quam proficiunt. Videtur magis proficua in paralysi, per πάρεσιν ex colica concitata, quam ex Apoplexia pronata.

Cum querela de sensu frigoris in latere affecto, ℞. aq. Arthrit. Augustan. uncias tres, spir. Cephal. Anhalt. drachm. tres. M. calidè inungebat, haud notabili levamine, sed magis visa proficua aqua Juniperina, bis in die calidè perfricando.

Cum

Cum & naturæ Melancholicæ, ob humoris vitriolati qualitatem, sint proclives ad convulsiones Epilepticas, sensiles partes vellicando sua acrimonia, & expultricem facultatem extimulando, ad rem inimicam amoliendam, exin ille aliquoties per intervalla assultu Epileptico est correptus. Ad malignam qualitatem infringendam, & paroxysmũ avertendum, ubi ejus sensit invasionem, exhibitum, cochl. unum. ℞. aq. Hirund. cum castor. theriacal. ceph.an. drach.sex, Antepilept. Langii drachm.x.succini alb.præp.scrup. I. Sacch. cand. albi drachm. duas M. nares inunctæ balsamo rutæ & succini.

Cum haud levis querela de memoriæ imbecillitate, ad eam corroborandam accommodatum expetebat præsidium. ℞. Spec. diamosch. dul. diaplir. cum mosch. dianth. an. drach.I.cons.Anth. Beton. an. unciam I. sem. cum syrupo de stech. secundum descriptionem Fernelii, quantũ sufficit, fiat electuar. liquid. singulis matutinis nucis muscatæ magn. sumsit, & ex voto successit, cum cerebri confortatione, & memoriæ revocatione.

EPISTOLA XV.

Ad Primarium Medicum cujusdam Reipubl. Imperialis.

De Febre Erratica.

Cum quidam vir primarius Ulmensis, cum sua conjuge quinquaginta annorum, ad suam diœcecesin, Eysenburgum, aliquot milliarium intervallo distantem, se recepisset, illa febre maligna, cum vehementissima tussi, penè diu noctuque durante, magis ipsa febre molestante, & corpus exagitante, est correpta, ab ea immunis reddita, successit febris intermittens, admodum versipellis & instabilis, nullam certam periodum observans; potuisset eludere & fallere quemvis fagacissimum Medicum, in sua crisi, ut ex intermittentium genere, tam gravi symptomatum συνδρομῇ stipata, veteranis etiam Medicis rarò spectanda & curanda obveniat. Febris illa quotidie invadens, cum tertia die ingravesceret, primitus visa typum tertianæ æmulari, & aliquandiu ab extra-

neis Medicis tractata, nec cederet, & ægra Ulmam rediisset, singulis diebus hora secunda nocturna invadens, citra ullum horrorem & rigorem, paroxysmo perseverante, calore sat intenso, usque ad horam secundam pomeridianam, & tum demum prandium sumere est solita, sudores insuper diurni & nocturni admodum copiosi erant molesti. Quin febres consimiles erraticæ, suum exordium atque proventum habeant à putredine, ebullitione ac fervore humorum phlegmaticorum & cholericorum, in ventriculo & mesenterii regione stabulantium, conjectura indubia, vel exin capienda, quod penè per totam febrilem durationem, etiam extra paroxysmum, gravamen & haud parvam molestiam sensit in scapulis & summitate dorsi, ob consensum Pylori, à crassitie & lentore humorum gravati. Cum os ventriculi inferius Pylorus, vergat ad latus dextrum, quemadmodum os superius ad latus sinistrum. Quod autem dolente ventriculo dolor sub scapulis sentitur, contingit propter sympathiam, cum os ventriculi superius ad septimam vertebram spinæ dorsi sit alligatum. Ubi ægra illa ad nos reversa, ad humores pituitosos, cum bile mixtos, evacuandos, cum in assumendis remediis immorigera & nausebeanda, ordinavi. ℞. Magist. radic. Jalapæ gr. XII. Eff. Scammon. gr. IIII. Syr. acid. citr. drachm. VI. M.

Id ob jucunditatem & felicem operationem cum εὐφορίᾳ adeò laudatum & gratum, ut deinceps aliud medicamenti genus admittere recusarit, etsi suaderem, ut postmodum per certa intervalla uteretur pilulis benignioribus, materiam morbificam per ἐπίκρασιν subtrahentibus, ad causam antecedentem sensim avertendam, ne facessat, inconjunctā, & fomitem febris subministraret, sed parere renuit; cum febris illa invalerit absq; ullo horrore, indicium, fomitem febrilem consistere in venis meseraicis, ibidem putrescentibus vitiosis humoribus, nec transmissis per habitum corporis; exin clysteres ad materiam per alvum revocandum, admodum contulissent, si ægra obsequium præstitisset, ast menstrui spacio post prædictum medicamentum est reiteratum, sat larga subsecuta operatione, sine ulla virium offensione, inprimis autem sat magna copia phlegmatis crassi & viscosi, cum bile mixti, per vomitum est rejecta, exin compressio illa sat diu molesta in scapulis & dorso recessit, & febris indies magis decrescens, tandem ultimum vale dixit.

Quod autem ægra in assumendis remediis minus obsecundans, à quibusdam visitantibus persuasa, istam

iſtam febrem fore chronicam dictitantibus, & ultra annum duraturam: Idem quidam Doctor Juris cognatus confirmabat, ſuo Exemplo referens, ſe cum Argentinæ ſtudiis incumberet, febre intermittente correptum, quæ à Medico illic primario ante tres anni quadras curari non potuerit, etſi abliguriendis pharmacis promtus, nullis ſumptibus pepercerit, ultra centum florenorum ſummam exponere ſit coactus. Exin & mihi haud conſultum videbatur, ægram illam gravare & moleſtare copia Medicamentorum, quin potius ſollicitus, de ordinanda accommodata diæta; præſertim cardo felicis medelæ videbatur conſiſtere in convenienti potu, præ cæteris laudabat decoctum cichorii exiccati, & ſaccharo pro libitu dulcoratum, id ſibi admodum profuiſſe, prædicabat; cum ſit Epaticum, vim habens diureticam, deobſtruentem & bilis extergentem. Cum ſudores diurni & nocturni ſat copioſi, infeſti, & quorundam ſuadelâ illos inhibere tentaret, confractionem omnium membrorum ſenſit, cum metu impendentis hydropis & dyſpnœiæ. Etenim cum potulenta materia aſſumta, ad ἀνάδοσιν ac diſtributionem chyli inſerviat, exin haud inſcitè ab Hippocrate ὄχημα τῆς τροφῆς vehiculum nutrimenti dictum, id ubi ſuo munere, à natura deſtinato functum, renes cum venis emulgentibus attrahere, & per ureteres ad veſicam deponere ſunt ſoliti, ſin verò vel imbecillitate virtutis attractricis, vel obſtructione viarum urinalium impediti, quo minus ſeroſitates ad renes pertingere valeant, tum natura illa moleſtia ſe ſublevare, & iſtas ſuperfluitates per habitum corporis, & cutis emunctoria, poros ac meatus, exterminare contendit. Siquis iſtum Naturæ conatum & motum remorari laboret, quin materia illa interius regurgitans ac reſtagnans, multò graviora ac periculoſiora concitet ſymptomata, ipſa αὐτοψία & ἐμπειρία teſtimonium ferant; non conſiſtit in ullius Medici facultate, Naturæ imperare, ut ſe ad illius nutum & conſilium accommodet, exin cum ex duobus malis minus ſit eligendum, an non conſultius, naturæ nonnihil indulgere, & ſudoris effluvium liberum relinquere, quàm in multò exitioſiora ſymptomata præcipitare?

Cum ægra per aliquot menſes abſtemia, detrectans, vel unicum vini hauſtum admittere, de magno incendio quiritans, nihil miri, quod diutius ſudoris moleſtiam ſuſtinere ſit coacta; Etenim cum vinum haurire cæpit, ſudoris effluvium deſiit, cum id habeat vim diureticam, per-

vias

vias urinales transiens, aqua verò, ob crassiorem consistentiam, & frigidiorem qualitatem, diutius in venoso genere cunctetur, nec ad renes transmissa, quin tandem exitum molita per habitum corporis.

Res mira etiamnum hodie, quoties aquam urgente siti bibit, sudoris eruptionem percipit, id ad vini haustum non contingit, ob fervidiorem lienis & hepatis dyscrasian; aqua ilicò attracta, & per venas delata exudat, vinum autem ob vim diureticam, ad venas emulgentes delatum & raptum, per vias urinales excernitur.

Quod autem ægra tam contumaci ac rebelli febre exagitata, calore incertis intervallis, diu noctuque recurrente, causa haud immeritò rejicienda videtur in fluorem menstruum, ob declinantem ætatem suppressum, exin massa sanguinea, excrementitiis biliosis humoribus inquinata, remansit, præsertim in venis meseraicis, quorum fervore tantum incendium; cum ante semestre cochlear unum passularum majorum laxativarum, secundum descriptionem Augustanam oblatum, alvi reserandæ gratia, post duas horas per secessum vitiosi humores excreti, quin & materia sursum ad ventriculum delata, & per vomitum rejecta, adeò fervida, ut quasi ignea percepta, haud dubiè ab humoribus deustis, & atræ bilis qualitatem vitriolatam æmulantibus, proveniens.

Febris illa curatu difficilior, cum nullum ordinem servarit, exin nec ullus ordo observandus in exhibendis alimentis, nec medicamentis; quin & cum calores non naturales ægra ibi molestos senserit, etiam paroxysmi tempore præterito, incerto intervallo infestantes, ut haud levis oborta conjectura, febris hecticæ symptomaticæ copulam præsentem. Istius febris Ideam, ob raritatem symptomatum, & medicaminum, cum Philiatris communicare, haud ingratum fore duxi. Ad mitigandum & abolendum gravissimum & molestissimum illud febris continuæ symptoma, Tussim, quæ cōcitata à crassis & lentis humoribus, branchiis & rasis pulmonum adhærescentibus, & naturam ad excretionem stimulantibus. ℞. aq. scab. uncias III. Hyss. Veron. an. unc. II. chærofol. thussilag. unciam. I. sem. Syr. liquir. unc. I. sem. Juliop. drach. VI. Sacch. cand. albi drach. VI. M.

Istam aquam pectoralem ægra summè prædicabat, ni ad manum fuisset, sibi moriendum putabat, exin materia phlegmatica viscosa, ad expectorationem prompta. Etsi aliàs in familiari usu, & in affectibus pectoris, cum non exiguo fructu aquæ

illæ

illæ cum ſaccharo candi mixtæ, ſed ubi prædictos ſyrupos admiſcere cœpi, multò præſtantiorem effectũ, obſervavi, etiam in prunella alba abigenda, abſtergendo lentas ſordes, faucibus adhæreſcentes, & ad excretionem in copia promovendo, Deo optimo Maximo tacita mente demiſſas gratias egi pro ſuggeſtione.

Soli DEO Opt. Max. Gloria & gratiarum actio, ſupplici voce & mente dicenda, pro variis & immenſis in me collatis beneficiis, ab incunabulis usque ad annum præſentem ætatis octogeſimum ſextum, ſat ſalva corporis valetudine, & mente conſtante, & quod tam diu ſoſpitem in vita conſervare benignè decreverit, dum obſervationes Medicas pangere, & abſolvere, ex inſperato mente mea excitata ad calamum ſumendum, relicto honeſto nominis mei encomio, & mortalium commodo; ſed cum fama & omnia mundana, ſint vana & fugacia, gratia divina potius ſuppliciter imploranda, ut obtingat memoria non momentanea, ſed in ævum duratura, in patria cœleſti comparanda.

Quæ ſequuntur, ad Epiſtolam I. pertinentia, ſeriùs in manus Typographi venerunt.

QUin pro coronide tria tantùm objecta à meo adverſario, mihi propoſita, diluenda ſubjiciam, operæ pretium duxi. ***Primum*** de uſu veſicatoriorum, in febribus malignis. ***Alterum*** de aqua Plateriana, num in peſte proficua? ***Tertium*** de venæ ſectione in febribus reliquis.

Quoad prius, tum ille in Indice pharmacevtico pagin. 101. mihi obſtrepit: ***Veſicatoria in febribus malignis magnum adferunt ſolatium, ringente Thonero ſine ratione, quia non expertus ea damnat.*** & pag. 25. ***Iurare poſſum, unico hoc medio, plerosque rationi redditos.*** Quanta ſit controverſia & altercatio inter primarios etiam Medicos, ***utrum veſicantia in febribus malignis ſint applicanda?*** pro & contra, magna animi contentione dimicantes, vel tyronibus Medicis eſt cognitum. Haud abs re exiſtimo, ea hîc referre, quæ ***Gerardus Columba***, Medico-Philoſophus eximius Siculus, lib. de febris peſtilentis cognitione & curatione, tradidit: ***Graſſante peſtilentia in Sicilia, ea correptum Filium, Iohannis Franciſci, Iuſtitiæ Præſidis; ad opitulandum convocatos ſeptem Medicos cum Gerardo Columba, cum multis præſidiis fruſtra adminiſtratis, morbus increſceret, co-***

na & delirium indies vehementius infestarent, cæteris non conferentibus, tandem vesicatoriorum applicationem fuisse propositam, cæteris approbantibus, se solum restitisse, rationibus haud frivolis adductis; sed majorem numerum prævaluisse, ut vesicantia admota sine fructu, quin alvi fluor desierit, coma & delirium increverint, morbo vehementiore apparente, ut tandem accersito Francisco Bisso, *totius Siciliæ archiatro, communi omnium voto, sectis manu venis sanguis extractus, quo tandem ingenio Naturæ adjuta, iterum ad alvi excretionem reversa, per inferiorem humorum depositionem, morbum indicarit.* Penè eodem tempore, peste in Academia Patavina desæviente, eandem de vesicantibus contentionem exortam, inter *Herculem Saxoniam & Alexandrum Massanum,* illo approbante, isto autem vehementer repugnante. Cum igitur tanta sit principaliorũ etiam Medicorum de vesicatoriis applicandis in febribus malignis, digladiatio, quis se arbitrum interponere, & certi quid definire ausit? exin nihil miri, si & illius opinio à mea sententia dissentanea. Cum enim in meis observationibus casum *fœminæ, febre maligna cum delirio laborantis,* proposuissem, cui ab alio Medico juniore vesicantia adhibita, sinistro successu; cùm magna præcedente querela, de inflammatione cerebri, supervenientibus convulsionibus epilepticis, sit extincta, & simul etiam ex complurium aliorum numero pauci, quibus illa applicita, salvi evaserint, proin aliorum vestigiis territus, alios æmulari, & dubiam fortunam experiri, haud consultum duxi. Huic sententiæ, rationi & experientiæ consentaneæ, ille planè contrariam proposuit, *se ringente Thonero, qui sine ratione illa damnet, quia non expertus. & se jurare posse, plerosq; ægros, illis admotis, Rationi redditos.* Sed audiat ille benigno animo, hocce meum sine fuco responsum. Poteritne jurare, salva conscientia, ægros illos solius illius medii (*vesicatorii*) ope, rationi redditos? Sed pernego consequentiam. Cum penè infiniti, febribus malignis obsessi, à gravissima paraphrenisi & deliriis immunes redditi, sine ullius vesicatorii adminiculo, per hypnotica, alterantia & alexiteria hydrotica. Cum enim illarum febrium scaturigo proveniat à putredine, fervore ac ebullitione biliosorum & serosorum humorum, exin phloxosi concitata, & massa sanguinea incensa, cujus effumatione cerebri menynges labem concipiant, exin deliria emergant, & Mens corrumpatur, sed febri emendata & humorum ebullitione sedata, deliria tanquam symptoma-

ſymptomata conſequentia, ultrò recedunt, per refrigerantia qualiacunque & malignitati reſiſtentia. Exin ille ſe & alios vana perſuaſione fefellit, fallaciam cauſæ non cauſæ commiſit, dum illi ægri æquè reſipuiſſent per alia media, humorum fervorem compeſcentia. Annon mea iſta ratiocinatio veritati magis conſona? Candidis Philiatris, absque præjudicio ponderandum committo. Infiniti penè comatoſi & delirantes in integrum ſunt reſtituti, absque ullius veſicatorii ope. Si ab uſu veſicatoriorum illi ægri à meo antagoniſta rationi redditi, fortaſſis iſte effectus potius aſſignandus aliis in ſimul adhibitis mediis, & in declinatione febrium illa fuêre adminiſtrata, Natura jam victrice, morbo peſſundato, ille deceptus, ſolis veſicantibus ſalutis cauſam aſcripſit.

Totaliter veſicatoria non rejicio, quin interdum urgente neceſſitate, ſi lethargus vel paraphreneſis ſuperveniat, cum diſcretione & cautela admitto, pręſertim ſi obtingant ægri craſſo, agreſtiore & robuſtiore corpore præditi, non molliore & delicatiore Natura dotati, abhorrentes à medio tam dolorifico, quales mihi obvenerant, cum quibus cautè, non temerè eſt procedendum, ut haud opus illa ſuggillatione & ſcoptica objectione, *me damnare illud medium, quia non ſim expertus*, cùm mei patientes benignioribus medicamẽtis fuerint menti reſtituti, ut ad tam inconceſſa deſcendendi, nulla compulerit neceſſitas: per cantharides ille corpora ægrorum transfodere pergat, & ſua miracula edat! Ego abiturio!

Qui mea, bona intentione conſignata admonitoria, ſpernunt, aut negligunt, ſusque deq; fero, & cuiq; liberum medendi proceſſum, pro cujusque diſcretione, permitto.

Quoad alterum objectum, *de aqua peſtilentiali Plateriana*, meus adverſarius in ſua rhapſodia pharmaceutica, me intactum relinquere non potuit, quin beneficum ſuum in me affectum exercens, prodiderit. Cum illam non ubivis locorum & quibusvis hominibus ordinandam tradidiſſem. Ille ſe continere non potuit, quin calami ſui acumine me pungere haud dubitarit, hiſce formalibus: *Hanc aquam præſtantiſſimam damnat Thonerus, quia Memmingenſes eam vomitu rejecerunt, & quia* N. pater ſcilicet, *eam commendat.* O falſiſſimam inſimulationem meritò haud prætereundam, cum commendarim illam potius in peſte proficuã, quod eſſet ex ſelectis concinnata alexiteriis malignitati reſiſtentibus; ſed cùm palato ingrata & Naturæ adverſa, ſi obtingant ægri delicatio-

delicatiores & nauſeabundi curandi, illam locum habere non poſſe, idq; oſtenderim exemplo *Memmingenſium*, quibus, Medici Plateri authoritate fretis, à Miniſtro pharmaceutico ſuam tùm operam in officinam illic locante, id mihi relatum. cum aquam illam præparatam civibus offerre attentaſſent, ipſi verò ob injucunditatem averſantes, retinere non poſſent, à cœpto deſiſtere, & illius uſum intermittere ſunt coacti.

Quæ dementia, in morbo tàm præcipiti ægros compellere ad remedia aſſumenda, brevi poſt revomenda, cum ſicut in bello bis peccare non licet, quin Mors ſuccedanea: ita & in peſte alexipharmaca oblata, ilicò vomitu reddita, irrita operatione, forent funeſta. Annon prudentis Medici eſt, ſe accommodare ad palatum ægrorum, ſi velit exoptato potiri ſucceſſu? prout magna mihi facta eſt injuria, me aquam illam damnaſſe, ſed tantum cum diſcretione uſurpandam, & iſtis ſubjectis prẹſcribendam conſuluiſſe, quorum ſtomachus ferre, amplexari & retinere valeat. Accedit, quod peſtis indoles ſit varia, ut nulla certa antidotus comperta; quæ una in peſte contulere, in altera obfuere, in cauſa venenatæ qualitatis diverſitas. Quemadmodum enim non omnia venena antidoto profliganda, ſed cuique peculiare deſtinatum alexiterium: ita peſtis non eſt uniformis, ut aqua Plateriana in ea perdomanda, poſſit adferre par præſidium.

Exin contingit, ut ſi ingruente aliqua peſte, Empirici, ejus Ideam non obſervantes, aut artificioſa conjectura non aſſequentes, ſiniſtra medicatione, magna edita ſtrage, multa millia ad Orcum mittant. Si quis candido animo meam *obſervationem lib. 1. pagin. 67.* perluſtrarit, rei veritatem & meam innocentiam deprehendet, & illius carpendi libidinem cognoſcet.

Quò exactior cenſura, adhibendã aquam illam deguſtare libuit, proh Deum immortalem; quàm Naturæ ingrato ſapore abominanda? & cum ejus doſis ab uncia una, ad uncias duas deſignata, quis nî coactus, deglutiret tantam copiam? penè Mors optatior; qui fidem abnuit, experiatur, mihi in votis, ut ipſi una vel altera uncia abſorbenda obtruderetur. Si ſano & robuſto homini oblata, tantopere inimica, & reſpuenda, multò magis infirmo & peſte infecto, cujus ſtomachus aliàs imbecillior, & ad nauſeam proclivior, in capiendis alimentis, nedum ingratis medicamentis.

Addo, quod aqua illa cum diſcretione ſit ordinanda, cum conſtet

ex ingredientibus admodum calidis & valdè amaris, vino infusis, & destillatis. Quin in calidiore & delicatiore corporis constitutione, & luculenta febris conjunctione sit noxia, quis refragari ausit rationi & experientiæ? cum in consimilibus ęgris, *aquæ* illæ *vitæ*, meritò *aquæ Mortis* sint nuncupandæ, prout in meis observationibua *libr. 1. pag. 67.* exemplis notatu dignis est comprobatum. Qui istam limitationem non observat, infeliciter curat.

Quoad alteram rationem, quod aquam Platerianam damnarim, *quia eam Pater ipsius commendarit*, quasi contradicendi studio & affectu ęmulationis in Patrem, illã improbarim.

O vanam præsumptionem ac suspicionem! O ridiculam rationem! qualis per insomnium mihi haud obvenisset. Etsi simultas aliqua inter nos intercessisset, num propterea aquam illam, per se laude dignam, in odium Patris reprobare par ac æquũ fuisset? absit procul à me tantæ levitatis crimen. Proin vana Filii est conjectura. Cum Pater me semper quoad vixit benevolentiæ affectu visus complecti, exin illum vicissim dilexi, & debito honore respexi, à neutra parte causa offensionis subministrata.

Hæc, cum in rei veritate ita sese habeant, æquis lectoribus ponderandum committo, quid de mei adversarii falsis & leviculis objectiunculis & machinationibus, sit judicandum? Si falsa affingere fas, quis posset permanere securus ab insidiis & ictu virulento calumniatorum?

Unum adhuc diluam objectum, *de Venæ sectione, Vtrum ea in febribus malignis sit administranda?* ille falsò me simpliciter reprobare asserit: sed obtestor benevolum Lectorem, adeat meas observationes, & *l. 1. observ. 33. inquirat*, deprehendet, istam quæstionem tàm perspicuè tractatam, ut vix apud alium Authorem extet planior. Exin patescit, me non simpliciter damnare sanguinis emissionem, sed quibusdam limitationibus propositis approbare. Si febris (cum dentur gradus malignitatis) non admodum maligna, si adsit plethora, imprimis si respondeat virium robur, si fomes febrilis resideat in venis, haud procul à corde distantibus, & in principio, febre non ultra biduum molestante, sanguinis depletionem esse admittendam; sed non copiosam, præsertim in Germania & nostro districtu, ubi homines abundant sanguine crudiore, liquidiore ac serosiore, non tàm crasso & compacto, prout Itali & Hispani, nec tàm calida complexione præditi. Cautè igitur ac circumspectè erit procedendum, non temerè ac indiscretè

cuivis, in quovis febrium genere & tempore, venam esse aperiendam. Si meus ille haud benignus criticus, præcitatam obſervationem rectis oculis mentis intuitus, dimoto privato affectu, cum attentione legiſſet, vel etiamnum perluſtraret, in animo ſuo fateri cogeretur, mihi factam injuriam.



INDEX EPISTOLARUM.

EPISTOLA

Ad Nobil. Excellentiſſ. & Experientiſſ.
Appendicis hujus Auctorem.

MUſarum ſummus Cultor, THONNERE, vocâris;
Cum TUA membra quaſi perflet Apollo ſagax;
Fama tui calami terras perſtringit & auras,
Cui fortuna favet, quemque perenne fovet:
Tollantur ſummis Tua nomina laudibus alta,
Gloria nec pereat, dumque viget, vireat;

Ne

Ne fugiant NOSTROS hæc Themata ſollicitaris
Pectore, CompendI, ſignificasque modum,
Singula quô poſſint præſtanti dogmate noſci,
Notâ cum praxi convenienter agi.
Det TIBI longævi Rex ſummus Neſtoris annos,
Quique quatit Terras, protegat incolumem.

DAs rund-bezirckte Feld des ſchwartzen Erden-kreiß/
Das ſoll/ wie billich iſt / erheben Ewern Fleiß/
Mit Lob und danck zugleich; Vnd dieſes thun die Gaben/
Damit Euch die Natur und Gott bereichert haben/
In dem Ihr die Artzney als eine Mawr vmbringet/
Vnd Ewre Stimme gleich als ein Poſaune klinget/
Auff daß Sie von Vnruh nicht könn' verderbet werden/
Noch durch Vnachtſamkeit verſcharret in die Erden;
Ihr helfft erhalten Sie bey Ihrem Ehren-Glantz/
Daß Sie beſcheinet würd auff Erden je und gantz.
Der Herr der Wolckenburg woll' Euch die Müh belohnen/
Vnd Ewer miltiglich mit Creutz und Trübſaal ſchonen.

Hæc Obſervantiæ ergò
ſcripſit

Eberhardus Gockelius,
Med. Stud.

FINIS.